


RECENTIORES  
*DE*  
ANIMA  
CONTROVERSIAE

QVAS  
AVSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI IVENTVTIS PRINCIPIS  
DOMINI  
FRIEDERICI AVGVSTI  
PRAESIDE  
M. IO. HERMANNO von ELSWJES  
ORDIN. PHIL. ASSESSORE  
ET S. TH. CAND.  
EXCVTIET  
M. CHRISTIANVS KRAUSE  
VRATISLAVIENSIS  
A. D. A. d. 17 CC XVII.

VITEMBERGAE  
EX OFFICINA GERDESIANA.



RECENTIORES  
DE  
ANIMA  
CONTROVERSIAE.

I.



uicquid Deum agnoscit conditorem, id, quod omnes fatentur, debitiss gaudet perfectionibus. Tum enim opus imperfectione laborat, si, qui operis est autor, uel iustum impendere diligentiam perficiendo, quod meditatur, operi noluit, uel, propter rerum imperitiam, uiriumque defectum necessarium impendere, ut uolebat, haud potuit. Deus uero, cum est bonus, rerum intelligens omnium, et potentia, qua efficere potest omnia, praeditus, uoluit non tantum, sed et potuit ita omnia condere, ne iisdem aliquid perfectionis, quam habere debebant, deesset. Quod nisi fecisset, semet ipsum, i. e. bonitatem, sapientiam, et potentiam abnegasset, propterea, quod nemo non ex opere de ipsomet, a quo profectum est, autore iudicare, et recte quidem, soleat. Atque hoc usque adeo uerum, exploratumque est omnibus, ut Philosophi, quos origo mali latebat, duplex maluerint configere principium, unum boni, alterum mali, quam Deo mali quid, aut imperfecti, tanquam auctori, adscribere.

II. Etsi autem hac ratione omnia sint perfecta, negari tamen nequit, non unam omnibus inesse perfectionem, sed maiorem

A

dari

dari in his, minorem multo in illis. Cuius rei non una forsan dari potest ratio. Etenim non unum in condendis rebus finem praefixum sibi Deus habuit. Generalior quidem, qui ad nominis diuini gloriam sese refert, ubique obtinet, sed specialior tamen, pro diuersa ratione rerum, alias est, atque alias. Ita ob alium finem condidit homines, ob alium animantes, ob alium res, uitae expertes. Horum uero finium alter altero est praestantior, et excellentior. Ex quibus consequitur, rebus, ob excellentiorem finem conditis, maiores deberi perfectiones; ut finis, ob quem conditae sunt, excellentior, eo melius, rectiusque obtineatur.

III. Inter omnia opera, quae sensibus sunt obnoxia, homo in primis, ob singularem plane finem, a Deo productus est. Is enim Deum, tanquam dominum, et conditorem agnoscere, dignis laudibus celebrare, omni, ut par est, ueneratione prosequi, et, superato in hoc mundo cursu, in coelis, ubi beatorum est sedes, intueri debebat. Accedit, omnia propter hominem esse facta, eiusque, Deo sic uolente, domino subiecta. Quare, commissum sibi, dominium debitum ut exerceret modis, et recte omnia in suum conuerteret usum, maioribus omnino opus habebat perfectionibus.

IV. Istae perfectiones in utraque, ex qua homo est compositus, parte reperiuntur, ut magis in anima, quam corpore sint conspicuae. Corpus namque cum brutis homo habet commune. Quid? quod inter bruta dentur, quorum corpora, magnitudine, robore, agilitate, aliisque qualitatibus, humana, longissimo post se interuallo, relinquunt. At si animam species, nihil est, quod contendi cum homine potest. Dolendum saltim est, non satis semet ipsam cognoscere animam. omnia hic sunt obscura, siue ipsam animae naturam, siue eius perfectiones, et facultates, siue eius in corpore sedem, aut cum corpore unionem, perpendas. In quibus contemplandis ita se gerit anima, ut sententias, passim allatas, destruat. Quod si uero suam de semet ipsa profiteri debet sententiam, tacet plerumque, nec aliquam suppeditat responsionem, prouocata licet ab Helmontio. Atque ita

satis

satis habet anima cause, quamobrem humiliiter de se fentiat, et res diuinas, omnem rationis *δύναμιν* sua superantes sublimitate, sancte magis, religioseque tractet.

V. Omnes, quae hic mouentur, quae stiones concernunt animae essentiam, eandemque partim generaliorem, quam communem cum aliis habet, partim specialem, per quam ab omnibus aliis distinguitur. Cum enim non Deum, non angelos, nominemus animas, oportet, in anima aliiquid concipiamus, quod concipi in DEO, aut angelis, omni ceteroquin materia destitutis, nequit. Optandum modo esset, abstinerent eruditiores a nouis, in quibus uoce hac utuntur, significationibus, quippe quae rerum modo confusiones gignunt, litesque procreant, quibus minuendis potius, quam augendis, intenti esse debebamus. Bernhardus Connor per animam, quam distinguit a spiritu, intelligit fluida corporis, sanguinem nempe, ac spiritus animales, uitam corporis conseruantes, suoque motu inuoluntarios cordis et respirationis motus producentes. Contra Sebastianus Wirdigius, quod Connori spiritus dicitur, animam, et, quod Connori appellatur anima, id spiritum nominat. Quod aliis pariter solet esse usitatum. Recentissime Andr. Rudigerus spiritum diuisit, in mentem et animam, quarum illa, ex eius opinione, substantia est, intellectu actiuo, haec passiuo praedita. Illa respondet intellectui, haec uoluntati, quam non habet pro aliqua animae facultate, sed substantia quadam, cui *Archei* nomen dedit. Videntur uetusiores non procul ab hac fuisse sententia. Platonici namque, imo et Kabbalistae in homine agnouerunt et *πνεῦμα* et *ψυχή*. Illud erat mens, siue potius, ea mentis facultas, quae pure intelligit, et ratiocinatur, haec, quae concupiscit, sentit, et a corpore affectatur. Neque aliter, si Vitringam audiamus, Paullus accipit, i. Theff. V, 22. Sed in eo tamen uidetur dari differentia, quod illi unam substantiam, et in illa duas saltim facultates, Rudigerus autem duas, easdemque distinctas, substantias admittat. Qua de re infra. Vitringam alibi notauiimus.

VI. Nos animam in sensu accipimus uulgatori, in quo per animam illa quidem substantia intelligitur, quae cum

corpore, a quo distincta est, Deo sic ordinante, totum constituit hominem. Quaeritur nunc, utrum anima substantiis sit annumeranda? Qua de re non heri demum, aut nudius tertius, sed pridem, multa animorum contentione, disputatum est. Noti sunt Aristoxenus, et Dicaearchus, non infima inter Peripateticos nomina, quibus anima merum, ac inane saltem fuit nomen. Quos etiamsi Cicero, Laetantius, Marsilius Ficinus, alii, multis, magnisque rationibus confutarint, reperti tamen sunt recentiori aetate, qui crambem, ratione licet paullulum diuersa, recixerunt. Spinoza, qui unicum modo substantiam admittit, non potest, salua sua sententia, animam pro substantia habere. Eius uestigia legit Stoschius, cuius *Φορητὰ αὐτοῦ* his absoluuntur capitibus. Supponit, unicum dari substantiam, uere, proprieque talem, consequenter animam, et reliqua, esse unicae, quam fingit, substantiae modos, aut modificationes. Dico, uere proprieque talem, non enim negat, posse aliquid esse substantiam respectu modorum, sive proprietatum, quae ei insunt, immo modum respectu modi, quo item modificatur, instar substantiae haberi. Quod ita illustrat. *Venit respectu hominis est modus, et respectu globulorum uel aureorum uel argenteorum uel ornamentorum, quae ei adhaerent, est substantia.* His praefunctis, nihil aliud ad animam requirit, quam cerebrum, et organa, recte disposita, materiam item subtilem i. e. succum, quem dicit, nerueum, in motu constitutum, et per organa disfluentem. Verbo, non aliter sibi concipit animam, quam molendinum quoddam pneumaticum, deque eadem ad eum plane modum sentit, quo de brutorum philosophantur Cartesiani. Vnde et diserte profitetur, *animam Hominis ab anima Brutorum, non specie, sed gradu tantum, uerum multum excellenti, differre.* Tota autem res ex eius sententia ita sese habet. *DEVS, tanquam causa prima, mouet aërem, aér efficit respirationem, respiratio promovet circulationem et fluxum Sanguinis et Spirituum, Spiritus hinc et inde fluentes obiectis concurrentibus mouent sensus, sensus imprimunt imagines, ex imaginibus eritur cogitatio.* Quae fusus ille persequitur c. X. quod appendicem inscribit, de Anima. Non dissimili fere ratione philosophatur

Ano-

Anonymus, cuius duae Epistolae A. cl<sup>o</sup> Icc XIII. in zweyer guten Freunde vertrauten Brieff-Wechsel vom Wesen der Seele, habentur. Animam namque pro accidente saltim habet, sive facultatis, et potentias, a Deo corpori impressis, aut instinctu, istas perficiendi actiones, quibus internosci ab aliis homo potest. Ex quibus sequitur, animam non esse realiter, sed formaliter saltim, ut in scholis loquuntur, a corpore diuersam, et cum corpore aliquando interire, propterea, quod, destructo corpore, potentiae, sive facultates, quae eidem insunt, saluae, aut superstites esse nequeunt. Inde totus in eo est, ut ostendat, quomodo absque principio quodam, a corpore distincto, homo intelligat et uelit. Omnia eo redeunt. Intellectum consistere in tremore, qui praesentibus rebus, extra nos positis, sensusque nostros ferientibus, in fibris cerebri, cum organo quodam sensorio connexis, oritur. Voluntatem uero nihil aliud esse, quam tremoris istius, in fibris excitati, contentionem, qua quis ideae indulget, ampliorem, a facultate quadam, natura insita, aut lege data, memoriae semper obuerstante, excitatam. Πρῶτον ψεῦδος, quod in hanc uirum adduxit sententiam, affinitas est, quae in actionibus hominum, et brutorum, quibus animam denegat immateriale, deprehenditur.

VII. Grauis omnino, magnique momenti, est quaestio, a qua tota dependet religio. Anonymus quidem in ea haeret opinione, se sua, quam tenet, sententia Atheos oppugnare fortissime posse. illud uero, quod de anima, morti quidem obnoxia, sed resuscitanda aliquando cum corpore, in medium assert, patrum excusat exemplo, qui, citra *άπεστα*, Psychopannichismum considerunt. Nolo quidem inficiari, Patres isti errori fuisse deditos, et si non ignorem, Bebelium aliquando in aliam eos sententiam interpretatum esse. Sed meminisse oportebat uirum, errorem, noxium ceteroquin, et detectandum, nonnunquam haberi excusationem, si res, in qua comittitur, nondum satis fuit excusata, aut persona ex animo, non usque adeo maligno, eundem fouet. Sic nemo non Pelagium magis indignatur, quam Patres, de peccato, liberoque, quod nominant, arbitrio ita sentientes, et loquentes, ut Augustinus illorum deprecatus sit

sit autoritates. Neque aliquis, opinor, dubitabit, quin mitior rem mereatur censuram Tertullianus, Deum faciens corporeum, quam Th. Hobbesius, Cowardus, aliique, hac nostra, qua uiuimus, aetate, impie idem affirmantes. Interim tantum abest, ut Atheismum haec sententia debellet, ut potius promotum eat. Diuinores namque literae semel, iterumque ac iterum, animas post mortem esse superstites clare, luculententerque pronunciant. Quod si uero res, ut anonymous sibi, aliisque persuadere satagit, aliter longe se habeat, fieri non potest, quin homo in sequiorum partem de diuino illo libro incipiat sentire, propterea, quod liber, qui Deum, rerum, quotquot sunt, callentissimum, agnoscit autorem, ab omnibus immunis esse debet erroribus. Explicationes Anonymi haud admittet, quae  $\tau\epsilon\beta\lambda\omega\sigma\epsilon\varsigma$  magis sapiunt, quam iustas, legitimasque interpretationes. Sed, quod grauius est, non uideo, quomodo cum hac sententia libertas conciliari possit, qua opus imprimis est, ut homo, siue prae-miis, siue paenis, pro merito, recipiendis aptus reddatur, idoneusque. Finge enim, omnia fieri solo fibrarum, quae in cerebro tuo dantur, motu, absque omni alio principio dirigente, necessum est, fatearis, non posse hominem aliter intelligere, ac uelle, quam ad intelligendum, et uolendum, ab impresso, et excitato in fibris, motu impellitur quasi, et determinatur. Ita omnia erunt necessaria, nihil liberum, consequenter de tota actum erit religione.

VIII. Priusquam uero ad quaestionis decisionem descendamus, sigillatim contra Stoschium ostendendum erit, quod alter forsan Anonymus haud negauerit, animam substantiam esse posse. Quodsi enim eiusmodi esse nequeat, frustra erit, quae in adstruenda ejus substantia, consumitur opera. Nititur autem Stoschius principiis maxime Spinozianis, unam tantum esse substantiam, nec plures una esse posse. At ea nullis, iisdemque iustis, idoneisque suffulta sunt rationibus, possuntque una negatione difflari. Tota res diiudicanda est ex substantiae definitione, ad quam in primis cum Spinoza Stoschius se recipit. Vult enim p. 3. Substantiam esse id, quod a se, siue per se subsistit. Ex quibus conficit, non posse unam substantiam ab alia

alia produci, propterea, quod id, quod est ab alio, non sit a se, et per se. Largior, substantiam, in sensu quodata abstractiore consideratam, esse id, quod a se, siue per se subsistit. Observuo tamen simul, posse aliquid bisariam dici, a se, siue per se, subsistere, prout nempe independenter subsistit, uel ab omni causa, a qua productum esset, uel ab omni subiecto, quo ad existendum opus haberet. Qua ratione substantiam  $\epsilon\delta\mu\kappa\varsigma$  considero. Atque hoc Spinozam uidetur in deterrimum illum errorem dedisse praecipitem. Scilicet confundit generaliorem, qui de substantia datur, considerandi modum, cum specialiori, et quia, aliqua datur substantia, quae ita a se, et per se, subsistit, ut nullas alias admittat, ergo nullas dari putat, in quas conceptus substantiae generalior competit. Quae confusio inter coetus Christiani Doctores, eosdemque antiquiores, lites quasdam peperit. Cum enim id quidam dicent substantiam, quod accidentibus, ut esse ualeant, substantiam suppeditet, inuenti sunt, qui Deum, in quo locum non habent accidentia, substantiam nominare solebant. Quis uero ignorat, res, qua essentiam licet distinctas, in conceptu quandoque generaliori consistere, eundemque conceptum, alio quidem, et alio modo, sed uere tamen, proprieque in utrasque competere. Vin exemplum? Statuit cum Spinoza Stoschius, omnia praeter unicam, quam fingit, substantiam, existentia, in modorum saltim, aut modificationum, referenda esse classem. Sed non erit usque adeo absurdus, ut homini, et lapidi, quorum uterque est modus, sed  $\epsilon\delta\mu\kappa\varsigma$  spectatus, unam, eandemque naturam, aut essentiam tribuat. Ut ergo uitiosa foret argumentandi ratio, lapis non potest dici modus, propterea, quod non est talis modus, qualis est homo, ita et haec uitio haud careret, hoc non potest esse, uel dici substantia, quia non eiusmodi est substantia, qualis est illud. Paucis ut multa complectar, hoc uelim euincat Spinoza, ad conceptum substantiae, qua talis, requiri, ut independenter a se, et per se, subsistat. Quod, ut ego arbitror, ad Kalendas, ut aiunt, Graecas prae-stabat. Interim non nego, posse fano sensu dici unam modo esse substantiam. Quodsi enim, praeceptibus diuinioribus lite-

literis dicere possum, solum Deum esse bonum, et habere immortalitatem, nihil impedit, quo minus pariter solum Deum substantiam appellitem, quippe qui ita est a se, et per se subsistit, ut non possit non a se, et per se, esse. Quod affirmari de nulla alia re, praeter Deum, potest, quae ita potius existit, ut potuerit non existere, et consequenter non esse substantia. Qua ratione intelligendi, procul omni dubio, sunt Patres, ex quorum numero Cyrilus τὸν καὶ δούτιον, de Deo κυρίως, et per abusionem saltim de rebus, a Deo conditis, usurpari contendit. Neque ignotum esse potest, quomodo Pythagoraci inter ὄντα, et ὄμοιον τὰ ὄντα, et Plato inter ὄντας, παντελῶς, ὀλιγερνῶς ὄντα et, μὴ ὄντα distinxerit, de quibus uidendus Iac. Thomasius, in Origin. Hist. Phil. et Eccles. §. 13. 14. Quae omnia tamen nihil habent commune cum Stoschii sententia, qui modum etiam, quatenus alium modum recipit, substantiam ἀκίνητος dicere uoluit. Ipse namque nudum saltem substantiae admittit nomen, non autem id, quod sub ista quidem notione alias insinuatur. Num autem modus modum, id est, accidens recipere accidens, possit, id aliis discutiendum relinquo. Exemplum, quo id illustrare uoluit, Philosopho plane indignum est. Vestis namque συμβολήτως quidem se habet ad hominem, qui ueste induitur, interim tamen, scorsim spectata, est omnino substantia. Quod dicendum itidem de globulis aureis, uesti assutis.

IX. Ita igitur nihil obstat, quo minus substantia esse possit. Quod autem talis sit, quod uterque negat, id quidem ratione non una euincunt passim Philosophi. Cartesius, qui Philosophiam uoluit emendare, hic nouam pariter praeiuit demonstrationem, quam eius aseclae magni faciunt, alii autem exsibilant, et uix cassa nuce dignam habent. Rudigerus sibi persuadet, non serio, sed eo animo admissum esse spiritum a Cartesio, Sorbonae ut placerent, quas fecisset fabulas. Neque nego, argumentationes eius destitui robore, tantaeque rei adstruendae minus esse idoneas. Quid enim haec, quae sibi uult argumentatio, qua omnia superstruit Cartesius, ego clarum, distinctumque, de corpore, iuxta et anima, habeo conceptum, ergo

ergo corpus, et anima sunt substantiae maxime distinctae. Ita faciliter possem euincere opera, etiam attributa in Deo, realiter, ut in scholis loquuntur, esse distincta, et, quod ipsimet inficiantur Cartesiani, intellectum, et uoluntatem diuersas, distinctasque esse substantias. Nihil sane, ut liberalis sim, inde conficitur amplius, quam quod formaliter, ut aiunt, siue quam modum concipiendi, differant. Quicquid autem ita differt, id non raro, quam rem ipsam, unum est, idemque. Interim haec duo distinguenda esse, duco, unum est, utrum Cartesius crediderit animam esse substantiam? alterum, num per dogmata, quae alibi proponit, opus habuerit cum corpore animam conjungere? Primum, quantum ex scriptis de Philosophi iudicare sententia licet, affirmamus, alterum negamus. Vult enim, bruta omni carere anima, et motus tantum mechanici beneficio, suas edere operationes, quae ad actiones humanas, quicquid dixerit Digbaeus, quam proxime accedunt. Igitur haud erat opus, homini tribuere animam, propterea, quod entia, ut Philosophi praecipiunt, citra necessitatem augeri haud debeant. Et quid opus est uerbis, ubi rerum adsunt testimonia? Nonne Stoschius, alterque, contra quem disputamus, ἀνόνυμος ex brutis iudicant de homine? Ita aliis dedit gladium, quo ipse, et, quam propugnat, sententia confoditur. Credo, hoc obseruarunt alii ex Cartesii aseclis, eamque ob causam eius de brutis sententiam, sibi ante uehementer probatam, post reiecerunt ipsi. Testor modo Petrum Poiretum, qui in Appendix, Cogit. Rational. subiuncta p. 722. quod, inquit, dixi de brutis, esse probatu facile, aliud principium praeter motum eis nec adeste, nec adeste debere, securius expressum est. Vtinam id alii, quibus eadem placet, imitarentur, et pericula, inde metuenda, ac a Lenkino Thomasio, non inscite, nuper enarrata, ad animum recipierent. Sed hoc non est exspectandum ab hominibus, quorum nonnulli, ex Φιλαντίᾳ, ad meliora monita, oculos claudunt, alii, ex ἀκρισίᾳ, commiseratione potius, quam confutatione digna, aperire ne quidem possunt.

X. Non opus hic erit multis ambagibus, aut subtiliori demonstrandi ratione, quae nonnunquam plus uanitatis, quam ueritatis, continet. Supponimus, quod, praeterquam scepticus,

cus, negauerit nemo, hominem operari non modo, sed et quandoque aliquid recipere. Vtrumque ostendit, esse in homine animam, eandemque a corpore plane diuersam, distinctamque. Operatio supponit subiectum, a quo ista actio procedit, et perficitur. Sed non potest illa actio in corpus cadere, quippe quae intellectum requirit, et voluntatem. Deprehendis enim, te, antequam meditaris, uel plane a meditando potuisse abstinere, uel rebus quibusdam aliis operam dare meditandis. Quare, dum meditaris, tuasque meditationes huic sigillatim rei impendis, fatearis, necessum est, te uoluisse meditari, et de hoc nominatim argumento, alioquin uel vacuuus omnino fores a meditationibus, aut aliud, non hoc, tuae meditationis argumentum haberes. Atque sic, uelis, nolis, voluntatem admittas. Sed idem pariter arguit intellectum. Nonne scis, te meditari, quando meditaris? Scire autem non posses, nisi gauderes intellectu. Sed uideamus de ipsa meditatione, quae hoc fortissime adstruit. Hanc ego facio duplcam. Vna est cognitione prior, altera posterior. Illa facit ad rei solidiorrem perceptionem, haec ad rei perceptae examen, siue clarius, illa facit ad sensum recte percipiendum, haec ad assensum, eundemque siue dandum, siue denegandum, siue cohibendum. Iam mihi dicas, utrum haec omnia absque intellectu perficere possis? num absque intellectu possis aliquid cognoscere? num ponderare res cognitas? et num mentem ad ferendum de rebus iudicium disponere? Sic habes operationes, illae requirunt subiectum, subiectum non potest esse corpus, ergo, praeter corpus, in te debet aliud esse subiectum, cui uindicari possunt. Atque hoc idem est, quod animam nominamus. Quod porro homo aliquid recipiat, id suo satis experitur exemplo. Fit enim ex indocto doctus, ex ignaro, rudique, rerum callentissimus, et gnarus. Hoc uero, quod recipit, eruditio, puta, aut doctrina, est accidens. Accidens per se non potest existere. Opus ergo est, ut subiectum adserit, cui inhaereat. Nunc, quaeſo te, iudices, num corpus sit eruditioſis capax, aut doctrinæ percipiendæ per suam aptum effientiam? Ergo praeter corpus erit in homine subiectum aliud, id quod est anima.

XI. Hic uero Stoschius, et cum eo altes artis salutaris Doctor motum obuertunt, et mechanicam corporis structuram, cuius beneficio omnia, hactenus enarrata, fieri contendunt. Scilicet pridem obseruauit Pſellus, in elegantissimo περὶ ἐνέργειας Δαιμόνων Dialogo p. m. 85. τὰς ιατρὰς μηδὲν ἔιδότας ὑπὲρ τὴν αἰσθησίν, αἷλλ' εἰς μόνα τὰ σώματα παρακύπτοντας. Quod tamen de omnibus dicere nolim, etſi forſan de multis τῶν ιατρῶν παῖσι, dici illud, ex rei ueritate, possit. Inuentus enim est inter Medicos, qui Medicum confutaret, et meliora edoceret. Et quis non facile uidet, quam incerta hic sint omnia, quam falsa, quam erronea. Anſam utrius dederunt illam complectendi sententiam, brutorum, quas obſeruabant, actiones. At uelim mihi dicas, num iam ita omnia circa bruta fint confecta, ut tam confidenter ab illis possis ad homines concludere? Quid si alius diceret, rem obscuram per rem minus clariorem illustrari. Non poteris ante aliquam a brutis rationem, in hoc quidem argumento, petere, quam luculenter dedisti euictum, nullas inesse brutis animas, quarum beneficio suas perficiunt operationes. Cartesius, Digbacus, alii, quorum magna sunt in Philosophia nomina, ita statuunt. Largior. Sed non sunt omnia uirorum effata oracula Sybillina. Qui-dam ex Cartesii affeclis, hanc eius de brutis sententiam ingenuē retractant, ex quorum numero est Petrus Poiretus, cuius uerba ſupra deditus. Ipſe Cartesius fluctuat, nibilque ſibi quod repondeat, ſupereſſe fatetur, P. I. Epift. LV. niſi quod, ſi illa cogitarent, ut nos, animam etiam ut nos immortalem haberent, quod non eſt ueroſimile, et P. I. Epift. LXVII. baud demonſtrari poſſe, diſerit perſcribit uerbis, nullam in brutis eſſe cogitationem, quia mens bu-mana eorum corda non peruadit. Quid? quod Cartesio minus hic uidetur ueroſimile, id nuper Ienkinus Thomasius affir-mauit. Ego iſtam ſuo autori facile relinquō ſententiam, et de duobus ſaltim ex Cartesio quaero. Vnum eſt, utrum ſpiritus, qui ex ſua natura ſunt ἀφθάρτοι, a nullo, eodemque exteriore, deſtrui principio queant. Alterum, utrum Deus non potuerit ſpiritus, numero non tantum, quod quondam negauit Tho-mas, ſed et natura plures, diſtinctosque, pro libertate, condere. Neutrum, ut ego arbitror, negari potest. Non primum. Deus enim

enim, uti spiritus ex nihilo potuit condere, ita, si uelit, potest eos destruere, et, qui existendi dedit initium, is efficere etiam potest, ut, quod aliquando cepit, existere tandem desinat. Observuo tamen, uerba illa, *si cogitarent, ut nos*, non unam admettere explicationem, sed intelligi posse, uel de nuda essentia spirituali, quae iuxta Cartesium in cogitatione consistit, uel de iisdem cogitationum argumentis. Si illo modo accipiat Cartesius, negamus consecutionem, donec ad ea responderit, quae paullo ante adduximus. Si posteriori intelligat, non diffitemur, animas brutorum futuras esse immortales, propterea, quod ea ratione dictamen ipsis tribuendum esset, de actione honesta, et turpi, quale dictamen supponit obligationem ad legem, et, quae inde dependent, praemia, et poenas post se trahit. Quae in bruta cadere, ante haud concedimus Cartesio, quam demonstrauerit, non posse Deum spiritus condere, natura, et essentia, seu, ut in scholis loquuntur, specie diuersos. Quod si enim corpora potuit condere non unius naturae, et essentiae, causam equidem non uideo, ecce pro sua, qua omnia potest, potentia non etiam spiritus diuersae omnino naturae, et essentiae producere potuerit. Scilicet spiritus, perinde ut corpora, in alium, atque alium, finem condebantur, eamque ob causam diuersam, distinctamque requirebant essentiam. Agnouere id, ni totus fallor, ueteres, et in his Lactantius, qui L. III. c. X. uniuersis animantibus datam esse rationem, sed mutis tantum ad uitam tuendam, homini etiam ad propagandam affirmat. Quae, si stylo Pythagoraeorum efferre liceat, dico, Lactantium brutis tribuisse  $\nu\bar{\nu}$ , et  $\vartheta\mu\delta\bar{\nu}$ , homini praeter  $\nu\bar{\nu}$  et  $\vartheta\mu\delta\bar{\nu}$  pariter  $\phi\pi\epsilon\alpha$ , atque ita diuersam naturam brutorum, et hominum adscriptisse animabus.

XII. Sic itaque minus firmum est illud fundamentum, cui innituntur. Quod ipsum concernit processum, quem uterque fingit, largior equidem quam lubentissime, res, extra hominem positas, uix deferri ad animam posse, absque fibrillarum, quae in cerebro sunt, commotione. Ea tamen non sufficit sola, sed aliud requiritur principium, quod res istas complectatur, et recipiat. Patet id ex istorum exemplo homi-

hominum, qui, profundissimis immersi meditationibus, nihil omnino audiunt, etiam aures nullo laborent uitio, et consequenter rem, qua feriuntur, excipere, et ad cerebrum deferre queant. Num credibile, in meditando omnes cerebri fibrillas ita quasi occupari, ut nulla amplius afficiatur? Num uerosimile, ita, inter meditandum, omnem fibrillarum commotionem sifisti, ut eo tempore, ne leuisimus quidem, excitari queat motus. Facto motu, fieri deberet sensatio, eademque uel grauior, uel lenior, prout motus, uel uehementior est, uel mollior. Quod cum non fiat, indicium inde capimus, principium, rebus alioquin recipiendis destinatum, aliarum contemplatione rerum distrahi, quo minus ad hanc sigillatim, est enim finitum, attendat. Neque appetit ratio, qui, absque illo principio, solo fibrillarum tremore, rerum acquiri cognitione queat. Ad cognitionem namque plures requiruntur ideae, quae partim componi, aut disiungi, partim idea quadam tertia adstrui, iuxta ac confirmari, debent. Num uero fibrillae, aut tremor potius, in fibrillis excitatus, nihil, uel uitiae, uel intellectus, habens, scire, et iudicare potest, quaenam ideae consentiant, quaenam dissentiant, quaenam ad rerum confirmationem spectent. Hic quidem Autor Epistolarum p. 70. ad diuinam se recipit potentiam. Sed hoc est nodum secare, non soluere, dubitoque admodum uehementer, quod haec Physices approbaturus sit interpretibus, qui rationes postulant, et ignorantiam interpretantur, cum qualitatibus Peripateticorum in unum relegandam locum, si quis mox in istiusmodi quidem argumentis, ubi non penitus desunt rationes, ad DEI voluntatem, aut potentiam prouocet. Ita omni superseedere Physicus potest opera, quam, uocatis in subsidium experimentis, explicandis rectius  $\phi\alpha\nu\omega\nu\epsilon\nu\sigma\iota\varsigma$  impedit. Speciem habent, quae idem p. 24. illustrationis gratia, de radiis aethereis, affert, qui non raro, aliis intercedentibus, quasi scinduntur, et tamen in concordiam, non confusi, redeunt. Transfigat hic cum Cartesio, Antonio le Grand, aliisque, qui modum et rationem definire conati sunt. Mihi res toto, quod aiunt, coelo diuersas contendisse uidetur autor,

propterea, quod radii illi aetherei ad classem causarum necessariarum pertinent, quae aliter agere nequeunt, quam ad agendum quasi sunt definitae. Longe aliter se res habet cum homine, quem causam esse liberam, non inficiabitur autor, nisi omnem conculcare uelit religionem.

S. XIII. Quaerit tamen p. 24. suae praesidium sententiae in ipsa experientia, quae exemplo hominum delirio laborantium docet, omnia in cerebri fibrillis esse sita. Aestuante nimis sanguine, confusus potius, quam ordinatus est fibrarum tremor, quem phrenitis tandem insequitur. Posse uero et cerebro, mediante sanguine, ideas quasdam infigi, exemplo adstruit hominum, qui rabiosi canis, aut tarantulac cuiusdam experti sunt admorsus. Hos enim mores illius induere bestiae contendit, cuius ideam per saliuam, aut aliud quendam bumorem accepérunt. Ita est, quod iam supra sum professus, opus est tremore fibrillarum. Unde si quando impediatur, aut minus recte se habeat, non potest anima corpori Deo sic uolente, unita, istas edere operaciones, quas, organis corporeis, per quae operatur, constitutis recte, perficere et poterat, et debebat. Notus mihi fuit homo, qui annis plusquam XX. ita erat captus mente, ut ea ne interuallo quidem rediret. Quid fit? cum iam feralis instaret hora, derepente mens rediit, suumque praestitit officium. Hic uelim dicas, unde, si omnia in fibrillarum sita sint tremore, illi tam derepente mens obtigerit? Fibrillae cerebri, per tantum temporis spatium, absque iusto, debitoque fuerant tremore, consequenter ideae, ab illo dependentes tremore, penitus quin exciderint, non est, quod dubitemus. Non enim uideo, qui conseruari illae potuerint, cum tremor non tantum fuerit confusus, sed et omnis cessauerit exercitatio, sine qua, ne sanus quidem, cognitionem ante sibi comparatam, conseruabit integrum. Forsan ad ideas prouocabis innatas, quas, utpote ab ipsa natura sibi collatas, miser ille retinuit homuncio. Fac rem ita se habere, neque ego etiam repugno, at nonne, quae so te, requiritur opera, et studium, ut ideae illae se exerant? Quid dicendum, de homine, inde a prima sua infantia inter ursos commorante, cuius mentionem facit Bernhardus Connor? Sed studium, aut operam, nec ipse a mente alienus, nec alii adhibere poterant, ut, excitato fibrillarum

brillarum motu, ideas istas innatas euolueret. Quod concernit alterum, uideo idem placere et aliis, ex quibus nominari potest Andr. Rudigerus, qui, in Physica Diuina, nuper admodum edita, p. 169. itidem statuit, homines, a cane rabido admorsos, more canum latrare, aliaque, quae a canibus perficiuntur, committere, propterea, quod cum morsu aliquid saliuæ, cum saliuæ, aliquid seminis, cum semine aliquid idearum caninarum imprimatur. Atque, eadem ratione, de tarantulis iudicandum, putat. Nititur tota haec sententia quibusdam Medicorum obseruationibus, quae, ut credo, non semper fidem merentur. Sunt illae non absimiles Physicorum experimentis, quae subinde diuersis alioquin rebus substernuntur demonstrandis. Et quis non uidet, quam multa hic, tanquam uera, supponantur, quae probatione opus habent. Praesumitur, in saliuâ dari semen, quod illi forsan negabunt, qui semen in uasis demum σπερματικός generari, et inde in uesciculas, aut tubulos colligi, contendunt, ex quibus num redire in corpus possit, et se saliuæ miscere, non adeo certum, aut exploratum est. Supponit porro, in semine esse ideas. Quod si fieri possit, nemo hominum ab ideis muscarum, uermium, aliorumque insectorum, erit immunis, quorum semina in cibos, queis uescimur, profusa tantum non quotidie deuoramus. Neque saltim nudas illarum habebimus ideas, sed et ipsas adeo animas, quibus, ex Rudigeri sententia, gaudent. Etsi uero non negem, multa ex illis εἰς ἀφεδρῶνα eiici, tamen et hoc certum est, non pauca in chylum pariter abire, et massam sanguineam, per totum corpus se diffundentem. Et quid opus est istis ambagibus? saliuâ canis rabiosi, particulis aestuans salinis, hominis se se permiscet sanguini, qui, iisdem infectus, motu agitatur uehementiore, sibique non usque adeo constante. Hic motus excitat ideas, quarum nonnullae pridem iam adfuerunt, sed ad motum sanguinis, eundemque minus rectum, iustumque componi recte nequeunt, aliae oriuntur ex recordatione illius rei, a qua laesio profecta est. Quae exemplo hominum, delirio laborantium, aut uino meroque obrutorum, clarum est, et luculentum, nisi forsan dicere uelis, uino, meroque certas innatare ideas. Ex quibus tamen omnibus id saltim consequitur, multa a fibril-

fibrillis, et excitato in iisdem motu, dependere. Quod nemo unquam, credo, negavit.

XIV. Duo imprimis sunt, quae pro adstruenda sua sententia Medicus afferit. Unum petitur ex ignorantia, qua homo laborat, sui ipsius p. 36. Alterum p. 38. huius est tenoris, non habiturum esse hominem doctrinam, de uita aeterna, in uerbo DEI reuelatam, pro stultitia, si in se haberet substantiam, omnis mortis expertem. Quod cum, teste Scriptura Sacra, fiat, nullus amplius dubitat, quin *ἀνθρώπος* ad corpus saltim pertineat, quod interire, corumpi, inque cineres redigi, cernimus, et, tantum non quotidie, experimur. Ad primum facile respondebit, qui perpenderit, animam esse quidem spiritum, sed ab alio productum. Quicunque autem ab alio est productus, ille est finitus, nec suam uel essentiam, uel scientiam, ultra illos extendere potest limites, quos is, a quo omne, quicquid est, quicquid habet, ac accepit, suo pro beneplacito, fixit. Taceo, intellectum per lapsum, quem ipse Anonymus admittit, uehementer esse debilitatum, et corruptum. Quod alterum condernit, non nego, inuentos esse plurimos, qui uitam, nullis finiendam seculis, rident. Sed enim hi eo suis sunt adacti sententiis, quas complexi sunt, erroneis, non uero iustis, debitisque rationis, recte applicatae, principiis. His enim, tantum abest, ut uita illa sit stultitia, ut potius, non diffidentibus diuinioribus literis, aliquam, superata morte, uitam supereffe dictitent. Paullus namque suis Romanis confirmat, gentes, quibus nulla obtigit reuelatio, literis comprehensa, scire, homines nefanda, quae enumerat, committentes sclera, dignos esse quam maxime morte. Per mortem autem non potest intelligi uel violentia, quam reges, principesque inferunt, uel naturalis. Illa enim non infligitur propter omnia illa delicta, de quibus exponit, haec autem omnes, pios iuxta et impios, manet. Intelligitur ergo aeterna, praeter quam nulla alia supereft. Qua uero ratione mortem assequi possunt aeternam, eadem pariter uitam, illi maxime contrariam, assequuntur, propterea, quod iustitia diuina, a qua argumentationem illam petunt, ut malos ita bonos praemiis, afficit.

## XV.

XV. Maius acumen ostentare uoluit Stoschius, qui ita p. 83. tricatur, *non posse hominem esse ens aggregatum, quia alias, ut sit in societatis alicuius dissolutae membris, dissoluto eo, et anima et corpus deberent per se et extra quoniam subsistere.* Quod cum non fiat, sed corpus dissoluatur, evidentissimum, ita opinante Stoschio, signum est, corpus non esse nisi partem integralem non substantialem, nec animam alterius naturae esse, cum alias, si substantia esse praesupponitur, corpus non esset, nisi animae adiunctum seu accidens, quod absurdum, quia anima inest corpori, non corpus animae. Sed quis dixerit Stoschio, hominem esse ens aggregatum? Ad ens aggregatum requiruntur quidem plura, sed quae *αὐτούς θεόντων* saltim uniuntur. Quae causa est, quamobrem citra unionem existere singula posint, nomenque entis tam diu maneat, quamdiu ex partibus, ens conficientibus, quaedam superfint, utut qua molem, aut numerum decrementa subinde, aut incrementa admittat. Ita aceruus est, manetque, ac dicitur aceruus, siue grana demas, siue adiicias. Per hoc enim non definit esse aceruus, sed fit saltim aceruus maior, aut minor. Et ciuitas est, manetque ciuitas, siue numerus ciuium amplificetur, siue minuatur, modo non ad unum omnes deficiant, ita enim non eadem foret ciuitas, sed noua omnino condideret. At enim, deficiente anima, uel corpore, non adest homo, utpote qui ex anima, et corpore simul constare debet. Non ergo homo est ens aggregatum, neque corpus pars integralis, sed substancialis. Quod si quidam ita sint locuti, ii *ἀνθρώποις* Philosophicam non adhibuerunt, sed *ἄνθρωποι*, aut sensu potius *γενουματίνοι*, locuti sunt. Atque ita tota rationum moles facile destruitur. Verbo, corpus, et anima sunt quidem diuersa entia, sed quae *unum per se*, non per accidens, liceat his uocibus uti, conficiunt. Ostendat uero Stoschius, fieri non posse, ut entia, unum per se constituentia, diuersae, distinctaeque sint naturae? ostendat, facta duorum *ἀνθρώποις*, fieri aliter non posse, quin, uno pereunte, simul pereat et alterum. Pergit Stoschius p. 84. *evidens indicium est, animam, siue mentem hominis, non esse nisi partem hominis, integralem puta, quia simul cum corpore incipit et definit, crescit et decrescit (uti in pueris et senibus) aegrotat et sana est, suauiter et moleste afficitur, cibo atque medi-*

medicamentis aequa ac corpus reficitur et recreatur, adeoque tam arte cum corpore unita est, ut alterato corpore mens quoque alteretur et alterata mente corpus uicissim alteretur. Haec Stoschius, quae ab Epicuro, et Lucretio mutuatus est. Animam una cum corpore incipere, quantum nunc a parentibus propagatur, fatemur, sed definere una cum corpore negamus. Crescit cum corpore, qua qualitatem, non qua quantitatem, utpote quae in animam, tanquam spiritum, et molis expertem, haud cadit. Dum enim homo crescit, organa corporea magis magisque redduntur apta, et humores nimirum partim decrescunt, partim defaecatores fiunt, ac puriores. Itaque hac ratione anima suas eo melius instituere operationes potest, quippe quae in operando a corpore, propter arctiorem illam unionem, dependet. Quam unionem si ob oculos, ut par est, habeamus, facile patet, qui anima, corpore, uel bene, uel male affecto, suauiter itidem, ac moleste afficiatur. Non enim ita morbis est obnoxia, uti corpus, nec iisdem, quibus corpus, sanitati restituitur medicamentis. Quaedam aegritudines a corpore deriuantur in animam, aliae deriuantur ab anima in corpus. Laeso namque corpore, anima, corporis, cum quo una hominem conficit, amantissima, in gravissimum coniicitur dolorem, maleque omnino se habet. Contra, anima male affecta, patitur corpus, quandoquidem eius operationes, quas anima promovet, et dirigit, sufflaminantur, et tantum non suspenduntur. Illis medetur Medicus, his orator, idemque, ut Graecor. utar uoce, *δύνατος*, quamuis ob *περιχώρησιν*, quae inter animam, et corpus datur, utrique morborum generi medicus, iuxta ac orator, non inutiliter adhibeantur.

XVI. Sic igitur constat, animam esse substantiam, inquit nunc porro est, qualis sit, num corporea? an corporis expers? quae sane quaestio non caret difficultate, contrariisque semper, seu ueteres, seu recentiores, species, disputata est iudiciis. Tres uero in primis sunt sententiae. Una animam facit corpoream, altera spiritualem, tertia ex spiritu et materia mixtam, sive compositam. Primam uetusiores Graecorum Philosophi complexi sunt, ex quibus uix aliquis animam omnis materiae expertem dixit. Quamuis enim eam nominent *άσωματον*,

*ματον*, aut *πνεῦμα*, tamen id non eo fit sensu, quo hodieque istae uoces accipiuntur. Dixere namque *άσωματον*, aut *πνεῦμα*, quia aut crassiiori quadam destituitur materia, aut spiramenta in corpore efficit. Lactantius, de Opificio DEI ad Demetrianum c. XI. aerem *Spiritum* nominat, qui *incorporalis ac tenuis*. Et ad eundem fere modum loqui nonnunquam solent recentiores, ut opus sit cauto, ne pro *έμοψήφοις*, habeamus, qui quam maxime a nobis dissentunt. Hic uero non uno modo procedunt. Quidam satis habent animam dixisse materialem, corpoream, aut extensam. Quod Hobbesius et Cowardus faciunt, si modo illi animam pro principio aliquo substantiali habuerint, et non illi potius sententiae ~~ad~~ *πεπιλατού* sint, quam supra in utroque anonymo confutauimus. Raphsonius sane non inscite *παραλληλισμὸν* Lucretium inter, et Cowardum, produxit utriusque uerbis, instituit. Forsan huc etiam pertinet Bernhardus Connor, qui animam, tanquam substantiam, quae necessario aliquam sua naturae materiam habere debet, cum ex nihilo nihil fieri possit, *sui generis οὐλην*, seu *materiam* nominat, in Euang. Medici. Art. XV. p. 125. Ab his tamen distinguendi sunt illi, qui animam, *qua uocem*, extensam dicunt. Ad quam classem referendi sunt illi, qui animam in toto corpore totam, et in qualibet corporis parte totam esse, dicunt. Quod ut explicent, extensionem quandam substituant virtualem, quam, ni totus fallor, Comenius in suo Orbe, ut nominat, Picto, adumbrare, procul dubio, uoluit. Et quis ignorat, Henricum Morum, a cuius partibus stat Raphsonius, animam dixisse substantiam extensam spiritualem? Idem recentissime *οmnium* fecit Andr. Rudigerus, in Physica divina I. I. c. II. §. 5. 8. Sed alii ulterius procedunt, ipsamque materiam, ex qua animae constat essentia, definient. Ita Stoici animam definiebant *πνεῦμα πυρῶδες*. Stoicos sequuntur non pauci coetus Christiani Doctores, qui Patrum uenient nomine. Lactantius, de Opif. DEI c. VIII. mentem diserte nominat *ignem diuinum*. Et Clemens Alexandrinus, quem primus Stoicis annumerauit Lipsius, Lib. I. Strom. p. 274. συνεξάπτει η γεαΦή τὸ ζώπυρον τῆς ψυχῆς, καὶ συντίνει τὸ οἰκεῖον ὄμμα

πρὸς Θεωρίαν, τάχα μέν τι καὶ ἐντιθέσαι σίον ὁ ἐγκεντρέζων γεωργὸς, τὸ δὲ ἐνυπάρχον αἰωνιόστα. In quibus nimis πελαγιαῖς Alexandrinus, eademque fere tradit, quae nostratis Mystici aeui, de scintilla, in fundo animae abscondita, et ope uerbi diuinioris excitanda, infulse, ut plerumque solent, deblaterant. Pro igne substituunt alii lucem, quae cum igne solet esse coniuncta. A qua sententia non alieni sunt Kabbalistae, et qui in numerum eorum referendus est, Menasseh Ben Israel, qui essentiam animae, quam subinde spiritualē nominat, nihil aliud, quam lucem esse, contendit, libr. I. de Resurrect. c. VIII. Mira hic philosophatur Helmontius, et digna omnino, quae inter fauatos ignes Philosophi istius per ignem referantur. Animam namque lucem dicit *substantiam, figura constantem humana*, quam semini deinceps imprimit. Israel Conradus, artis salutaris apud Gedanenses Doctor, A. cl<sup>o</sup> lcc VII. librum edidit, de Cognitione sui ipsius, in quo animam pro luce quadam habuit, sed, quae eius est modestia, προβληματιῶς saltim ea de re disputat. Tandem reperiuntur, qui luci aerem iungunt, et, animam ex luce et aere constare, existimant. Quam sententiam suam fecit Thomasius, in Tentamine de Nat. Spirit. Sect. VII. Th. XIV. Altera sententia nunc est uulgatior. Tertia tandem Bernardino placet Telesio, qui uniuersam suo tempore Philosophiam reformare conatus est. Ille namque, de Rerum Nat. L. VIII. c. XV. sibi persuadet, substantiam, quae in homine ratiocinatur, non unam, simplicemque esse, sed ex anima, a Deo creata, et ex spiritu, ex semine educito, compositam.

XVII. Sed quam falsa haec sint, quamque remota sit anima ab omni materia, uel ex operationibus, quas edit, innotescit. Etsi enim illae animam haud constituant, de animae tamen essentia testantur, cum inter operationes, et potentiam, a qua operationes proficiscuntur, intercedere debeat proportio. Neque aliquis magnopere repugnat, operationes istas in corpus ordinarie non cadere, eamque ob causam ad illud se recipient *μητρόφύετον*, fieri saltim per diuinam posse potentiam, ut corpus cogitet. Grauis sane difficultas que plane est quaestio, annon DEVS id efficere possit? Io.

Lockius

Lockius l. IV. de Int. Hum. c. III. nullus ea de re dubitat, quam suo pariter calculo probat Petrus Baelius, in peculiari ad Ancillonium Epistola, qua in Cogitationes Rationales P. Poireti inquirit. Subiunxit illam ipse Poiretus Cogitationum libris. Ita uero Baelius p. 751. *Vellem solum bunc mibi scrupulum eximi.* Quaero, num *DEVS* uirtute sua infinita et omnipotenti effere ualeat, ut corpus existentiae suae alteriusue cuiusdam rei fiat sibi conscientia? Quod multis adstruere rationibus conatur. Cartesius quidem, eiusque aesseclae, multum impenderunt industriae, ut animam omnis expertem materiae euincerent. Si tamen dicendum, quod res est, non potest Cartesius, per suae Philosophiae principia, huic satisfacere quaestioni. Ostendit hoc Baelius exemplo quodam, cui aliud subiungimus, idemque luculentius. Statuit Cartesius, *DEI uoluntatem ab aeterno fuisse indifferentem ad omnia*, Deumque res hoc, illo modo, condidisse, non quod aliter eas condere non poterat, sed quia aliter condere eas nolebat. Scilicet non uoluit *DEVS*, ita rem illustrat ipse Cartesius, *tres angulos trianguli aequales esse duobus rectis, quia cognouit, aliter fieri non posse, sed quia uoluit, tres angulos trianguli necessario aequales esse duobus rectis, idcirco idem hoc uerum est, et fieri aliter non potuit.* Sic igitur et materiam potuit creare cibitantem, si modo uoluit. Voluisse autem, pari ratione affirmatur, qua negatur. Difficile est dictu, quid *DEVS* possit, aut non possit. Potentia eius est infinita, cui asequendae finitus intellectus haud sufficit. Accedit, rerum essentias quandoque latere, neque satis ubiuis obuias esse. Quae efficit ratio, quamobrem non raro contradictoriis, quae dicunt, aliquid annumeremus, cum quibus nihil habet negotii. Recte proin omnino dixit iudicissimus Hulsemannus, a G. Calixto immerito fugillatus, *Deum posse contradictoria, et materialiter, et formaliter talia.* Interim tamen in eo consentiunt omnes, id Deum posse, quod omni modo, id est, saluis diuini Numinis perfectionibus, saluaque rerum natura, ac essentia, fieri potest. Iam uero nemo, credo, negauerit, cogitare, intelligere, uelle, esse talia, quae spiritibus maxime sunt propria, eosdemque a corporibus, extensione maxime gaudentibus, distinguunt. Quod si ergo haec conferret in corpora, aut materiam, ex

corporibus fierent spiritus. Non enim apparet, quomodo corpora proprietatem essentialē accipere possint, non accepta essentia, a qua proprietas illa *realiter* haud differt, nisi dicere uelis, posse aliquid simul esse, et non esse. Quod fanae rationi tantopere repugnat, ut, qui contrarium cum Heraclito, si modo ingenuē eius protulit Aristoteles sententiam, affirmare uellet, indignus omnium sit iudicio, qui confutetur. Speciem habent, quae Baelius l. c. urget, *ita imminui Dominium DEI, eiusque omnipotentiam, afferique, Deum composuisse uniuersum ex eo genere substantiarum, quae prorsus ineptae sunt, quibus creator suus se ipsum communicet: neque enim DEVS vere communicat se suis creaturis, nisi in quantum eas reddit capaces suae cognitionis.* Ergo ne Dominium DEI imminuitur, si quando negas, Deum posse facere, ut pars maior sit toto, ut bis duo conficiant quinque, ut aliquid simul sit, et non sit, ut dies praeteritus sit praesens, aut praesens sit praeteritus. Dominium DEI est quidem *εξουσία*, sed tamen ordinatum ad attributa, siue, ut clariss dicam, *ἀρχοντία* attributis, quae in Deo dantur. Sic, ut res exemplo illustretur, Deus habet dominium in homines, neque tamen innocentes poenis, aut maleferiatos praemiis, afficere poterit, nisi suam, et bonitatem, et iustitiam, abnegare uelit. Szydlouii *Φορπία ἀνθρώπων* non curamus, quac ipsi met Reformatorum Doctoribus improbantur. Neque magis de diuina bonitate detrahere potest, quod se non communicet illi, cui se communicare nequit, quam de diuina potentia, quod ea facere nequeat, quae fieri plane nequeunt. Quae interca Thomas Hobbesius adduxit, ea sufficenter a Sam. Clarckio sunt confutata, in Demonstratione Existentiæ et Attributorum DEI, quam latina donauit lingua Ienkinus Thomasius. Bernh. Connor, nisi uoce ludat materiae, non uno nomine absurdus est. Non enim, ut aliquid sit, necessario requiritur, ut sit materia. Alioquin DEVS etiam foret materia. Atque hinc nihil aliud adducta a se ratione euincit Connor, quam quod anima reuera sit aliquid, aut ueri nominis substantia. Videatur interim mihi male applicasse acceptioneim materiae, Scholasticis usurpatam. In qua cum materia *subiectum* aliquando aut

aut *objec̄tum* denotet, non uerentur animam facultatum suarum appellare materiam.

XVIII. Illi, qui animam uoce saltim dicunt extensam, uidentur, qua *τρόπον* modo παιδιάς, dissentire, nec ipsam ueritatem laedere. Non desunt tamen incommoda, quibus premi ea potest. ipsa enim obscuritate est obscurius, quid sit extensio uirtualis, Rudigerus quidem *αποδεικνύει* suam sibi uisus est adstruxisse sententiam, sed omnia facile soluuntur, si modo obserues, spiritus esse quidem finitos, ast non in sensu *μαθηματικῷ*, quo illud dicimus finitum, quod est quantum, consequenter partes extra partes habet. Nulla igitur ante tali demonstrationi, quam tam sollicite necit, inheret uis, aut efficacia, quam probatum dedit, spiritus *quantitatue* esse extensos. Quod tamen eo minus praefare potuit, quo magis ab illa sententia, quae spiritus facit corporeos, remotus esse uoluit. Audiamus ipsum Rudigerum, ut mentem eius eo melius percipiamus. *Quocunque, inquit, ens finitum est, si existit, illud est alicubi.* Haec admittimus, immo et contra Cartesianos propugnamus, quos Henricus Morus lepide nominauit *Nullibetas*, quod spiritus, quorum in cogitatione ponunt essentias, alicubi esse inficiuntur. Etenim dum existit, oportet alicubi esse. Nam si nullibi esset, esset nihil, consequenter non existeret. *Quicquid, ita pergit, est alicubi, illud uel in loco est, uel in spatio.* Et hisce suo modo subscribimus. Sed quando nunc subiicit, et *spatium autem et locus extensa sunt, unde quicquid est, in extenso est*, uidetur partim sibimet ipsi contradicere, partim ex praeiudicata quadam, et alibi proposita, opinioneloqui. Contradicit sibimet ipsi, utpote qui totus in eo est, ut ipsummet Deum spatium esse, utut incorporale, euincat. Quod si igitur Deus est spatium, erit pariter extensus, et quicquid est in Deo, in extenso sit, necessum est. Quod, ut credo, haud affirmauerit. Opinio autem praeiudicata, ex qua loqui uidetur, ea est, quod spatium pro substantia habeat, qualē, si corporea ea est, extensam esse oportet. Vifa est quondam haec quaeſtio Io. Lockio adeo difficultis, ut non dubitauerit, suam profiteri ignorantiam. *Si quis, inquit, de Int. Hum. l. II. c. XIII. §. 17. interrogauerit, utrum spatium hoc, quod corporis exp̄s, sit substantia,*

*stantia, uel accidens? in promptu responsio est, me nescire.* At si spatiū est substantia, est alicubi, quia omnis substantia aliquid est, uereque existit. Iam tibi mundum, quaeſo, concipias, ſive totum mundi ſyſtema, quod coelum, terra inque, complectitur. Hoc eſt ens, idemque finitum, ergo eſt alicubi, et quidem in ſpatio. Illud ſpatium eſt substantia, ergo erit alicubi, et in ſpatio, hoc ſpatium erit in alio. Sic igitur extra hunc mundum infinitae, aut, ſi mauiſ, innumerae erunt ſubstantiae. Progreditur, quicquid eſt in extenſo, illud ei eſt coextenſum, et adeo extenſum. Hoc κατά τι uerum eſt de illis, quae μαθηματικῶς, ſive quantitatue ſunt in extenſo. Habemus uero hic περῶν θεῦδος, quod probatione quam maxime indiget. Adiicit quidem, neque enim aliter aliquid in loco eſt, uel ſpatio, quam replendo illud. At hoc, ſi ἀπλῶς accipiatur, aequa falſum eſt. Quomodo enim ſpiritus, omnis quantitatis, quod ipſe fatetur Rudigerus, expers, replere aliquid potest. Eſt quidem in ſpatio, in quo exiſtit, praefens, ſed praefentia, quae φιλοσοφικῶς nudam modo dicit αἰδιαῖστα, non requirit neceſſario, ut id, quod praefens eſt, illud etiam ſpatium, in quo praefentem ſe ſiftit, replete, neque aliam quandam ſubstantiam una admittat. Atque hac ratione ea nunc concidunt, quae ſequuntur, replere autem aliquid ſpatium, uel locum non potest, niſi applicatur ad illum; ſi autem applicatur, applicatio aliter, quam in puncto physico contingere baud potest, at omne punctum physicum eſt extenſum, ergo quodcumque ens finitum eſt, illud extenſum eſt. Vellem decideret Rudigerus grauiſſimam illam, quam Scholaſtici quoniam mouere, quaeftionem, quo genii acuſ cuiusdam acumi ni inſidere queant? Non eſt, quod moneam, praeterquam hoc, omnia iſta cadere in entia, quantitate praedita, in quorum numerum non ſunt referendi ſpiritus. Faceſtant ergo et reliqua, in quibus aperta datur finiti, in quantitate, et eſtentia, ut in ſcholis nominantur, confuſio. Nam finitum eſſe non potest, niſi finiatur alicubi; finiri alicubi nequit, niſi alibi incepit, ergo omne finitum habet initium et finem: quicquid habet initium et finem, illud habet partes extra partes; quicquid habet partes extra partes, illud eſt extenſum. Vnde quam inde deducit propositionem, ita tem-

temperamus: Ergo omne ens, QVANTITATIVE finitum, eſt extenſum.

XIX. Anima, cum ſit ſpiritus, potentiis quibusdam, aut facultatibus gaudeat, neceſſum eſt. Ita namque diſtinguitur a corpore, quippe quod iners quaſi eſt, et παθητικῶς ſaltim ſeſe habet. De numero harum facultatum non conuenit inter Philosophos. Scholaſtici duas earundem faciunt clafles, et alias ſuperiores, alias inferiores nominant. Et ad ſuperiores quidem intellectum referunt, et uoluntatem, ad inferiores appetitum ſenſituum, et locomotiuam. Illae competunt animae, ut eſt ſpiritus, hae, ut eſt anima, i. e. ſpiritus, ad illum finem a Deo conditus, ut cum corpore hominem efficiat. Alii numerum facultatum ſuperiorum augent. Vetuſtiores coetus Christiani Doctores intellectui et voluntati adiecere memoriam, eaque in re ipsius DEI, qua perſonas conſiderati, imaginem ſibi uifi ſunt reperiſſe. Quod et Petrus Bongus Bergomas fecit, in Numerorum Mysteriis, p. m. 140. Ex recentioribus numerum ternarium retinet, ſed pro memoria desiderium ſubſtituit Petrus Poiretus, quem feſcutus eſt Ioachimus Langius. Vterque hanc diuisionem, facta ad forum Theologicum applicatione, rebus Theologicis, iisdemque grauiſſimis, ſubſternit demonſtrandis. Poiretus inde euincere uoluit Trinitatem, Langius autem eius beneficio noſtratis doctrinam Eccleſiae, de fidei partibus, emendare conatus eſt. Poireti ſententia, quam ex eius Oeconomia, et Cogitationibus Rationalibus, ὡς ἐν συνόψει exhibeo, his abſoluuitur momentis. Supponit, hominem ad imaginem DEI eſſe conditum. Vti ergo in homine desiderium datur immenſum, intellectus immenſus, acquiescentia immenſa, ita in DEO pariter fit, neceſſum eſt, immenſa desiderandi, ac percipiendi facultas, quae ipſi eſt Deus Pater, actus percipiendi illud, quod desiderauit, immenſus, quae perceptio ipſi eſt filius, et tandem gaudium immenſum, quod ex perceptione oritur, atque hoc eſt ipſi Spiritus S. In quibus Poiretus Patrum quorundam, et Scholaſticorum ſecutus eſt ſententias, qui Filium, λόγος appellatum nomine, per intellectum, Spiritum S. uero, tan-

quam amorem, per uoluntatem productum esse, contendunt. Nec negari debet, etiam inter nostrates repertos esse quosdam, qui idem senserunt, etsi alii rectius ab eodem feso abstineant, et in his Io. Wigandus, cuius peculiaris extat hoc de argümento Commentatio. Interim Poiretus non est primus, qui inde adstruere Trinitatem, posthabita reuelatione, uoluit. Nam ante eundem idem fecit Keckermannus, a Io. Musaeo, aliisque, passim oppugnatus. Nos pauca saltim, quae ad euertendam Poireti sententiam faciunt, adducemus in medium. Ante omnia id obseruandum, Poiretum in enumerandis animae facultatibus sibi haud constare. Alibi namque, in Epistola de educatione liberorum, quae tot quondam Hamburgi dedit turbas, non tres, sed quatuor facit animae facultates, ita ut tribus, ante enarratis, adiiciat facultatem perficiendi, quicquid bonum, rectumque esse, deprehendit. Et quid opus est, ut desiderium, et acquiescentiam, tanquam diuerfas, distinctasque facultates, accipiat, quae unius facultatis, quam uoluntatem nominamus, tantum sunt designationes, aut, si ita loqui fas est, modi. Nam id, in quod fertur uoluntas, uel abest, et demum acquiri debet, uel iam adest, et iam acquisitum est. Priori modo habes desiderium, inferiori acquiescentiam. Quod si tamen inde diuerfas facere uelis facultates, cur non idem facis, qua intellectum, in quem cadunt memoria, reminiscientia, ne de aliis nunc dicam. Et sic numerus facultatum, nimium quantum, excrescit, et amplificabitur. Subruto sic fundamento, actum nunc de tota erit sententiae Poiretianaes structura. Id quidem profiteor, hominem semetipsum contemplantem, beneficio uiae, quam Scholastici nominant, causalitatis, et eminentiae, id asséqui posse, quod Deus intellectu, et uoluntate, gaudeat, quippe quibus instruere hominem non potuisset, si istis ipse destitueretur perfectiōibus. Id tamen non video, qui homo, omni reuelatione destitutus, in eam descendisset opinionem, ea in Deo ueras, proprieque sic dictas, personas constituere. Intelligere, desiderare, acquiescere, ad essentiam pertinent, tribus personis communem, consequenter, pro ratione essentiae unius, omnibus

bus tribus competunt. Sic unaquaque persona produceret aliam, et ab hac processurae essent aliae. Neque enim apparet, rationem sibi reliqtam concludere ex hisce posse, numerum personarum ultra ternarium non esse extendendum, in primis si ex anima, tanquam ἐντύπῳ, de Dei, tanquam ἀρχήτυπῳ, natura, et essentia, iudicare debeat. Adscribam Poireti uerba, ex Cogit. Ration. I. III. c. VIII. p. 317. *Deus, inquit, est merum esse, et absolute suum esse: merum esse est esse sui ipsius, uices sui ipsius gerit, repraesentat et sicut se: merum esse est sibi esse, sibi in sui ipsius uicariatu, imagine, et repraesentatione, fructione, acquirescere.* Substerne saltim uice DÉI, Filium, aut Spiritum S., et uidebis, per haec principia, quibus maximopere sibi placet Poiretus, plures tribus admittendas esse personas, nisi facere forsan cum Sabellio uelit. Neque est, ut ad imaginem prouocet diuinam. Vnde enim homini, extra reuelationem constituto, de uera imaginis ratione constat? Et quis, quaeso te, conformiter unquam diuinioribus literis, in desiderio, intellectu, ac acquiescentia, imaginem diuinam posuit. Scio quidem, Patres in ipsa animae essentia eam collocasse, sed pertinet hoc ad αὐτολογίας, quibus non raro aliis errandi dedere occasionem. Sufficit hoc unicum, haec omnia, facta defectione, in homine remansisse, qui uero imagine diuina per lapsum penitus est exutus. Plura commemorabunt Theologi, quorum etiam est, de Langii sigillatim sententia dispicere.

X X. Esse autem intellectum, et uoluntatem facultates saltim, et potentias, non entia, aut substantias, ab ipsa anima diuersas, distinctasque, ueterum nonnulli uocarunt in dubium, quibus Andr. addimus Rudigerum, cui uoluntas nihil aliud est, quam essentia quadam spiritualis, intellectu passiuo instructa, et secundum ideas, cum innatas, tum a mente, siue intellectu actiuo, acceptas, agens, unaque, quod in Physica Diuina fatetur, cum corpore interiens. Atque sic non duabus, sed tribus homo constat partibus, corpore nempe, mente, siue intellectu, et uoluntate, siue, ut uoce Helmontiana nominat, archaeo. Quod tantum abest, ut neget, ut diserte potius fateatur, in appendice ad Physicam Diuinam, p. 784. ad autoritatem cum Scripturae S.,

tum Lutheri nostratis, aliorumque, tres homini partes tribuentium, sese recipiens. Potissima, cui maxime innititur, ratio desumpta est a pugna, quae, nemine dissentente, inter intellectum, et uoluntatem intercedit, et duas facile, easdemque diuersas, arguit substantias. Hanc adduxit imprimis, in Prooem. libris de sensu ueri et falsi praemissio §. 15. seqq. cui in Physica Diuina p. 754. nouam addit, inde petitam, *quod cogitationes eo ipso momento, quo cogitamus, sentire haud possumus, ubique autem uolitiones.* Nam mens est, quae sentit, est eadem quoque, quae cogitat, unde cum nemo simul possit flare et sorbere, simul agere et pati, mens quoque non potest simul cogitare, et eo ipso, quo cogitat, momento, etiam illam cogitationem sentire. Vnde concludit: *Si principium uolens idem esset cum sentiente, nemo posset simul uelle, et eodem temporis articulo, quo uult non successire, ut in cogitatione, uolitionem suam sentire.* Miror, ut ὑπεροπτός committam, uirum acutissimum negare, posse aliquem simul agere, et pati. Quando aliquis meditatur, tum, ut opinor, agit, eo ipso autem, quo meditando agit, momento, scit, se meditari, conseruenter et sentit, se meditari. Et quid opus est uerbis, ubi rerum adsunt testimonia? Credo, de se unusquisque experientia, quod eo momento, quo cogitat, se cogitare plerumque sentiat. Quod si illud aliquando non fiat statim in intellectu, ut in uoluntate, id forsitan inde est, quod anima, suis indulgentiis suauiter cogitationibus, ab organis paullulum fiat alienior, quatenus a re proposita siue bene, siue male, afficiatur. Vbi autem istiusmodi datur commotio, ibi non potest non sensatio simul inseparari. Pugna porro, quae datur inter intellectum, et uoluntatem, haud euincit, uoluntatem ab intellectu, tanquam peculiarem quandam substantiam, esse distinguendam. Nemo enim est, qui ignorat, dari in ipsa uoluntate non raro pugnam, nescia, utrum rem complectatur, an abiiciat, num, hac missa, complectatur alteram. Itane igitur uoluntas non una, sed duplex est substantia? Taceo, ex recentiorum, qui cupiunt ἀνειρολογεῖν, sententia, uoluntatem modo secum pugnare, nec aliquam dari inter intellectum et uoluntatem pugnam,

gnam, sed intellectum modo, et sensus, pugnae occasionem praebere. Neque tandem aliquod huius sententiae praesidium in diuinioribus reperitur literis. Has enim si in hoc consulere uelimus argumento, illa euoluenda sunt loca, in quibus, tanquam in sede propria, de origine, iuxta ac morte, hominis, exponitur. In illis uero non trium, sed duarum saltim, partium iniicitur mentio. Ad testimonia, in contrariam allata sententiam, pridem responderunt Theologi, ut non opus sit, actum agere, aut crambem bis coctam recoquere. Hoc unicum monuisse iuuat, locum Luc. I, 47. minus commode pro hac Rudigeri sententia adduci, quippe in quo πνέουσι adscribitur ἀγαλλίασις, quae, cum ad affectiones pertineat, non cadit in intellectum, sed uoluntatem, tanquam affectionum matrem, et fontem. Videat etiam Rudigerus, quomodo cum ueritate, tantopere nobis commendata, conciliet, quando animam cum corpore interire contendit. Qua ratione pii, in coelos recepti, ante ἀναβίωσιν destituentur uoluntate.

XXI. Intellectus, a quo merito incipimus, officium est, in rerum causas, et ueritates, inquirere, easdemque notas, sibi perspectasque facere. Quod ut recte fiat, ante omnia dare debet operam, ut ideas bene percipiat, nisi, ut coecus de colore, iudicare uelit. Habere autem intellectum uires, aliquid percipiendi, nemo; praeterquam sceptici homo ingenii, negauerit. Cum quo tamen non adeo difficilis est disputatio, quandoquidem tum facultatem percipiendi suo adstruit exemplo, dum oppugnare eandem conatur. Non enim mecum posset disputare, et ad rationes, a me adductas, respondere, si nihil perciperet, nec sensum uerborum, a me propounderetur, assequeretur. Scio, Petrus Baelius, uir ingenio, judicioque, pollens, omnes diffusas cum Sceptico disceptationes. At ita deserenda erit ueritas, qua nihil nobis esse debet prius, nihil posterius, ita triumphabit Atheismus, quem Scepticismus post se trahit. Sufficit, si uel maxime Scepticum ad meliorem mentem haud reuocaueris, alios te contra Scepticismum possse munire, imo Scepticum ipsum eo adigere, ut, quid amplius iure respondeat, non inueniat. Praeter Scepticos dantur

et alii, qui, ex aliis licet rationibus, uim percipiendi intellegui denegant. Andreas Caesalpinus affirmauit quondam, *nihil nos intelligere, nisi primum intelligibile, hoc est, Deum illum in nobis habeamus, qui se ipsum intelligendo, causa sit, ut aliquid intelligamus.* Quod dogma, *mirum non immerito* Nic. Taurello, in Alpibus. Caeſis p. 301. nominatum, ex putidissima illa fluit, quam eum Auerrhoe communem habet, sententia, unam modo dari intelligentiam, per omnes homines diffusam, eandemque ipsummet esse DEVM. Quae cum Spinozismo amice conspirant, et nuper admodum a Deurhofio, utut ex aliis forsan rationibus, sunt reuocata. Deurhofius namque, uti notum, cum Spinoza facit. Sed Caesalpinus, ut bene obseruat Taurellus, p. 26. per illam Aristotelis assertionem, qua omnem rerum multitudinem a materia proficiisci, contendit, in hunc prolapsus est errorem. Ex recentioribus Bernhardus Connor, in Euangelio Medici, Artic. XV. p. m. 144. animam percipere, negat, cui ab ipsomet Deo primae rerum ideae, ad earum praesentiam, animaeque uoluntatem, infundantur. Sapit haec Cartefianorum quorundam sententiam, quam et suam fecit Malebranchius, nec non Liberius a S. Amore, quorum ultimus in Epist. Theologicis p. 58. huius praesidio ista conatur eleuare testimonia, in quibus Liberatori nostro diuina tribuitur potentia. Statuunt nempe, creaturas non esse operationum, quas edunt, ueri nominis causas, sed eas a DEO proficiisci, qui id, quod uult creatura, *ἀπέρως* perficiat. Quae sententia Deum omnium autorem peccatorum facit, homines uero a peccatis quibuscumque absoluunt. Et tamen ea Malebranchio multum ad promouendam pietatem uisa est facere. Vedit id haud dubie Connor, unde pro cognitionum *saltim primigeniarum, perceptionum, et sensationum omnium, immediato autore* Deum habet, homini uero uim quandam largitur, *receptas semel ideas simul associare, a se disiungere, in rationis formam illas connectere, unam ideam ex alia inferre, et reliqua.* Duae quaestiones probe hic sunt discernendae. Vna est, annon DEVS sit aliqua perceptionis causa? Altera, num sit sola et unica? Illam omnes affirmant, quotquot concursum diuinum, eundemque

demque generaliorem, et ad omnia se extendentem, contra Scholasticos, Claudiumque Paionium, iustis propugnarunt rationibus. Alteram merito proscribunt omnes, quotquot persuasum habent, Deum ideo dedisse homini sensus, ut horum beneficio ipse in rerum cognitionem perueniret. Poiretus eius rei causam a primis quasi initii repetere uoluit. Putat enim, DEum semetipsum, quasi extra se, repraesentare uoluissime, eamque ob rem cum ipse sit principium agens, et actuosum, debuisse pariter rem, in qua se repraesentare uoluit, principium esse agens, et reuera actuosum. Ita ille in discursu Praeliminari Cogitat. Rational. praemisso, Sect. III. p. 9. Ait non placet haec ratio, aliena maxime ab ista imaginis diuinae ratione, quam diuiniores suppeditant literae. Et quamvis quidem ex rebus conditis, de conditoris, et fabrefactoris DEI, iudicium ferri possit perfectionibus, minus tamen recte a Deo ad res, ab ipso conditas, instituitur argumentatio, propterea, quod in his creandis sua usus est libertate, nec aliqua adfuit necessitas, quae illum coegisset, ut sic, et non alter, conderet. Et si ideae ad uoluntatem hominis coelitus, ut Connorus loquitur, infundantur, unde, quaeſo, est, quod homo absque omni uoluntatis motu non raro percipiat? Unde sunt tot aberrationes, quas in percipiendo experit, etiam omni adhibito studio? Deus sane, qui optimum semper intendit, ideas ita censendus est infundere, ut reuera fese habent, cum alias et culpa erroris, in iudicando commissi, transferri in illum deberet. Vbi enim uitiosa, et erronea maxime est rerum, ac idearum, perceptio, ibi uerum, rectumque, sequi iudicium, experientia teste, nequit. Et quid fiet, si homo, libidine correptus, rem sibi aliquam praesentem sistit, anne et tum eius animae ideam Numen infundit sanctissimum, omnisque impuritatis grauissimus osor? Confirmare tamen suam sententiam hac in primis ratione conatur Connor. *Quando primo uidi Elephantum, anima mea, inquit, non potuit esse huius uisionis autor, quia sic anima, cum libero semper agat arbitrio, Elephantum aperto oculo posset non uidisse.* Ecquis uero ignorat, animam libertate, qua alioquin praedita est, in nonnullis deſtitui?

stitui? id quod appetit, appetit sub ratione boni, et id, quod auersatur, auersatur sub ratione mali, neque, quod omnes experimur, aliter potest. Ita et res comparata est cum intellectu, qui rei, clare, luculenterque, sibi propositae, non potest non adstipulari. Pergit Connorus. *Morus quoque fluidi nerviū, aut ipsorum oculi nervorum vibratio non potuit in anima mea primam Elephantis imaginem natura sua uere depingere, quia cum motus unius corporis non potest esse uera causa, cur aliud corpus moueat, multo minus motus fluidi corporei in re incorporeā effectus illos producit.* Quae de motu differit, ea gratis dicuntur, et ab ingeniosissimo Schelhammero pridem confutata sunt. Sed perpendisse debebat arctissimam illam, quae animam inter et corpus datur, unionem, cuius beneficio anima in corpus agit, et a corpore nonnunquam afficitur. Modum, quo id fiat, malo admirari, quam frustranea opera rimari. Neque enim hucdum aliquis inuentus est, qui sufficienter illum explicasset.

XXII. Scilicet non pauci suas hic periclitati sunt uires. In his est Malebranchius, qui l. III. de Inquirenda Veritate c. VI. ingeniose magis, quam uere, disputat. Habere DEum in se omnium rerum ideas, hunc uero omnibus rebus, etiam mentibus nostris, praesentia sua quam arctissime uniri, consequenter mentes pro facultate, qua praeditae sunt, omnia, quae in Deo sunt, posse uidere, si modo reuelare ista DEVS uelit. Oppugnauit in primis hanc sententiam Antonius Arnaldus, quem inter et Malebranchum, per multos annos, idque scripto non uno, nec sine magna animorum contentione, de eadem disputatum est. Accedit Petrus Poiretus, ut ex Cogitat. Ration. l. III. c. X. apparet, ubi et incomoda sigillatim persequitur, ex hac sententia metuenda, in quibus, quod mireris, et illud est, *superbiā, et amorem proprium, usque adeo promouere, ut sibi quisque imaginetur, se cum Deo familiaritate maxima uti, cum uidere, consilere, ab eo responsa habere, et similia, quae Fanaticismo, et Enthusiasmo, sive falso commercii cum DEO fictiōni, ansam dare possunt.* Quae utinam sibimetipsi Poiretus a semetipso dicta putaret. Sententias namque, quas de lumine, in fundo animae residente, passim inculcat, ad Fanaticismum non ducere, sed in Fana-

Fanaticismum praecipites dare homines, coecus sit, qui non uideat. Quod ad Malebranchium, is quaedam uere, quaedam falso, et erronee, affirmat. Verum est, Deum ubique esse praesentem, quod ratio immensitatis postulat. Admittimus, illum omnium ideas rerum complecti, si modo per ideas ipse intellectus diuinus, omnia certo cognoscens, non uero aliquid, ab ipsa essentia diuina diuersum, distinctumque, intelligatur. Ita namque de diuina actum fore simplicitate. Sed et hoc fatemur, posse Deum suas ideas, pro modulo intellectus creati, et finiti, hominibus manifestare. Quae tamen manifestatio non fit *ἀπόστως*, uti, remotis ualuis, lux *ἀπόστως* in oculos illabitur, sed signis quibusdam certis, sub quibus res ipsae, quas communicare cum homine uoluit, exhibentur. Clarum hoc fit ex reuelationibus, *πολυτρόπως* a Deo factis. In *εεοπνευστα* suppeditabatur *τι καὶ πῶς*, et in uisionibus sistebantur imagines, quibus DEus hoc, illudue, adumbrare uolebat. Nunquam legimus, quod in ipso DEO ideas DEI uidissent homines. Et dicat Malebranchius, num istas homo ideas, quiescente omni intellectus operatione, in Deo uideat? an uero illa, percipiendis ideis, fit adhibenda? Si hoc statuat, illud recurret incommodum, cuius causa suam excogitauit Malebranchius sententiam, quomodo rem, quam in DEO uidet, repraesentare sibi intellectus queat? Si illud affirmet, uelim, rationes exponat, quamobrem non easdem omnes habeant ideas, quibus Deus aequa praesens est? Num forsan DEus non potest, aut, si potest, non uult omnibus easdem manifestare? Absit, ut id dicamus, qui de diuina potentia, sapientia, ac erga homines benignitate, longe rectius persuasi sumus. Quid? quod hac ratione nulla opus sit in addiscendis scientiis industria. Et cur, quaeso, Deus uerbum nobis suum dedit, ut ex eodem rerum cognitionem diuinorum hauriamus? Ecur nos iubet, coelum, terramque, intueri, et ex utriusque admiranda structura de conditoris, cum potentia, tum sapientia, plane admirabili, ferre iudicium? Quid his opus erat ambagibus, sicubi omnia in Deo, nobis praesente, conspicere liceret? Et quid sibi uolunt illae conscientiae commotio-

motiones, illa rectae rationis dictamina, quae, Scriptura teste, sunt ex lege, cordibus nostris illata? Possunt et ea hic afferri, quae supra aduersus Connorem adduximus. Sed nec defunct Malebranchio rationes, quibus stram confirmare sententiam conatur. Ex his non postrema illa est, quod DEVS dicatur *Luminum Pater, hominesque scientias docere.* Hoc quidem non negamus, quandoquidem cognitio rerum merito inter illa refertur dona, quae ob bonitatem suam Deum agnoscentem. Sed, quod ita DEVS illuminet, aut doceat, uti sibi persuadet Malebranchius, id salua diuinioris Scripturae, ex qua haec pro sua sententia desumit, autoritate, affirmari nullo modo potest. DEVS namque illuminat, (liceat uoce in sensu paullulum laxiore uti,) et docet, uel *ἀμέσως*, uel *εμέσως*. Illud nunquam fit, ut supra notatum, absque certis quibusdam signis, sub quibus res ipsae communicantur. Hoc fit partim per naturam, partim per uerbum. Illa principiis nos docet innatis partim, partim studio, industriaque, acquirendis. Hoc autem est scrutandum, audiendum, inque suctum, et sanguinem, conuertendum. Illustrabo rem exemplo. Seruator noster dicitur lux, illuminans omnem hominem, sed non aliter illuminat, quam annunciando uerbum, et Scripturas exponendo Diuiniores. Vnde quando discipulos ab ignorantia, qua laborabant, liberare, eosdemque meliora docere uolebat, tum ad Mosen se recipiebat, ad Vates, ad Psalmos. Posteaquam uero coelo receptus est, ablegauit nuncios, qui hominum aperire oculos debebant. Quod uerbi diuinioris factum esse praedicatione, illa Paulli euincunt uerba, in quibus contendit, se nihil, extra Mosen, et Prophetas, proposuisse, et ex iisdem summa, qua decebat, fide, omnem modum, et rationem, consequendi salutem, suppeditasse. Monstrosa sunt, quae porro subiicit, cognitionem nostram propter DEum esse factam. *Quod si uero eius obiecta essent res, quae non sunt Deus, tunc non esset illa propter Deum, sed propter alia, atque Deus, aliqui Dei non esset scopus, atque finis, intellectus nostri, quantum esse potest; neque esset omnis, et tota capacitas nostri intellectus pro Deo facta.* Quis enim adeo rerum omnium ignarus est, qui nesciat, dari fines,

fines, quos Philosophi dicunt, subordinatos. Quis uellet negare, non esse cibos, sanitatis tuenda, aut conseruanda gratia, sumendos, etiamsi omnia, et ciborum etiam sumtio, fieri debent propter diuini nominis gloriam. Sic itaque potest aliquis et DEum, et res, praeter DEum, alias, cognoscere. Quod et ipse DEus uoluit, qui rebus omnibus ueritates indidit, hominesque facultate instruxit, ueritates, in rebus latitantes, eruendi. Et dum commisit hominibus dominium in animantes, uoluit pariter, ut animantium naturas sibi facerent perspectas, quia alioquin dominium recte exercere haud possent. Sufficit, illam cognitionem pro ultimo scopo, fineque, in quo subsistere iure, meritoque, debet, diuinae gloriae amplificationem habere. Inde uero non sequitur, quod intellectus omnia in DEO uideat, nihilque, praeter ipsam Dei esentiam, percipiat, aut attingat. *Quod exemplo, a uoluntate desunto, scite ostendit Poiretus.*

XXIII. Opus tamen est *κριτηρίων*, ex qua certa esse potest anima, se rem recte percepisse. Nam nisi tale detur, semper erit nobis fluctuandum, utrum ueritatem simus assediti. Quae causa est, quamobrem omni tempore de isto *κριτηρίων* sollicitos sese praebuerint Philosophi. Huc spectat Epicuri Philosophia Canonica, tot contrariis iudiciis uexata, et a recentioribus, alio subinde habitu, reuocata. Videtur uero Epicurus illam Xenophani, aliisque, *ἀναταληψίας* fautoribus, studio, dataque opera, opposuisse. Quare uel hoc nomine eius laudanda est industria, quod rectius, meliusque, suis sentire uoluit praeceptoribus. Scholas enim Nausiphanis frequentauit, quem Pyrrhoniae addictum fuisse Sectae, constat. Scholastici nihil de illo *κριτηρίῳ* habent. Satis namque habebant, sua placita ad Aristotelis, quem sectabantur unice, conformare placita. Vnde plerumque non quaerebant, num huc, illudue, ueritati sit consentaneum, sed num menti, et sententiae Aristotelis, sit conforme. Cum autem Cartesius, missis autoritatibus, quae non raro nobis imponunt, omnia rationibus examinaret, opus erat, ut de constituto ueritatis *κριτηρίῳ*, cogitationem pariter susciperet. *A que hoc reperisse sibi uisus est in clara, evidentique,* ac

ac distincta, perceptione. Vnde decantatum illud, quod utramque apud Cartesiānos facit paginam, quicquid clare, distincteque, percipio, illud est uerum. Non deerant tamen, qui illud sub examen, idemque rigidum, vocarent, ex quorum numero, ut Gassendum taceam, Petrus Daniel erat Hue-tius, qui in Censura Philosophiae Cartesianaē totum caput, idque secundum, eidem examinando impedit. Interim occasionem dedit Cartesius aliis, in illud argumentum, quo uix aliud maioris est utilitatis, penitus inquirendi. Ex his ingenio, iudicioque, reliquis haud inferior fuit E. W. Tschirnhausius, Autor Medicinae Mentis, et Corporis, cuius iterata editio Lipsiae clo Ioc XC V. prodiit. Ex eius sententia inde quis ueritatis capere *κριτήριον* potest, si quando rerum, quas concepit, cognitionem per sola uerba excitare in aliis potest. Quae ut eo melius euincat, duo in primis supponit, quorum unum est, id uerum esse, quod concipi potest, alterum, facultatem concipiendi in omnibus hominibus esse aequalem. Notiam tandem ingressus est uiam Immanuel Proeleus, in Demonstratione, de Certitudine Sensuum, Rationis, et Fidei, docto alioquin, et eleganti, libello. Concepit ille sibi in homine triplicem facultatem, unam sensualem, alteram rationalem, ultimam spiritualem. Sensuali percipiuntur res materiales, et corporeae, sensus externos ferentes, rationali, ideae, et abstractiones, spirituali, DEus, resque incorporeae aliae. Hinc omnis ex eius sententia perceptionis certitudo ex eo resultat, si res, aut obiectum, facultatem animi, eandemque integrum, et probe ad perceptionem accommodatam, debito modo per presentiam, aut contactum suum afficerit. Vid. P. I. c. I. et II. in quibus haec fusius persequitur.

XXIV. In *κριτήριῳ*, ut a Cartesio proponitur, non pauca merito desiderantur. Nam in multis ne quidem clara, distinctaque, datur perceptio. Qualia argumenta sunt Theologica, eademque ἀπλῶς talia, quae fidem requirunt, et clare, distincteque, nullo modo percipiuntur. Hinc factum est, quod Cartesiani, illata in Theologiam regula, summa auctiōne doctrinae coelestis capita, eleuarent, inque sensum longe alium inveniēt.

interpretarentur. Cuius rei exemplum in Hermanno Alexander Roellio habemus, qui aeternam filii Dei generationem admittere noluit, propterea, quod non uideret, idque clare, et distincte, quomodo conceptus generationis consistere cum aeternitate posset. Grauiter autem est notatus a Dauide Huguenino, in Christiano Ratiocinante. In nonnullis praesumuntur clara, distinctaque, perceptio, quae, re bene excussa, nulla est. Ex quibus id conficitur, praeter perceptionem claram, distinctamque, qua, ne iudicium fiat temerarium, opus omnino est, requiri insuper aliud, quo certus reddar, me in percipiendo non aberrasse, meamque perceptionem, quam claram, distinctamque, profiteor, reuera claram, distinctamque, esse, non autem praesumtam, qualem multi, experientia teste, habere solent. Accedit, quod nec ad ea se extendet, quae sensuum percipienda sunt beneficio. Ecquis uero negauerit, horum pariter habendam esse rationem, qui, fattente Grandio, Instit. Phil. I. I. p. m. 16. nos instruunt, *quod res sint, sine quod corpora existant*. Et, cum ipse Cartesius fateatur, sensus, qui tanto nobis, in indagandis rebus Philosophicis, sunt adiumento, quam saepissime fallere, ostendendum omnino illud erat *κριτήριον*, ex quo certus fio, non esse mihi a sensibus impositum. Nam quia mihi de eo non constat, dubius omnino haerere debeo, utrum in rerum penetrauerim naturam, nisi forsitan affirmare uelis, posse aliquem rerum naturas assequi, qui nondum satis certus est, eas res, in quarum inquirit naturas, reuera existere. Vedit hoc, haud dubie, Gottlieb. Gerhard. Titius, eamque ob causam principium hoc Philosophiae Cartesianaē, quod suum pariter fecit, in Arte Cogit. c. III. §. 24. emendat, et supplet. *Quicquid clare, et distincte, sine immediate, citra adminiculum sensuum externorum, sine mediate, per sensus externos, intellectus percipit, illud est uerum, i. e. de eius ueritate, per propriam cognitionem, certo est persuasus.* Per *κριτήριον*, a Tschirnhausio excogitatum, suspenditur certitudo rei, a me cognitae, ab assensu eorum, cum quibus ea communicatur. Quod etiam si non parum animum aliquando confirmet, ratio tamen *κριτήριος* ita debet esse comparata, ut me sua quidem virtute,

uitute, ac efficacia, de ueritate conuiincat, etiam si nemo reperiatur, qui mecum faciat. Quis enim sibi in tanta rerum perturbatione promittere potest aliorum assensus, ubi diuersa sunt hominum ingenia, studia, inque studiis progressiones. Ergone abiicienda erit ueritas, de qua ego sum certus, quandoquidem per uerba eius cognitionem excitare apud alios nequeo. Et num tu putas, illam rem, pro uera esse habendam, cuius excitari apud alios cognitio per sola uerba potest? an ne ignoras, dari errores, qui ueritatum prae se ferunt speciem, et in animos sese eruditiorum, ab ingenio, iudicioque, haud destitutorum, insinuant. Cogites, quaeſo, quot sibi affectus conciliauerit Plato, quot Aristoteles, quot Cartesius, quot alii, quorum passim notantur, et proscribuntur, sententiae. Et in his non paucae reperiuntur, quae sibi quam grauissime repugnant. Sic itaque nihil amplius supereſt, quam ut *spiritu&gt;* suum abiiciat Tschirnhausius, uel, quod Thomasio pridem est obſeruatum, fateatur, unam, eandemque, rem, falsam, ueramque, esse, posse. Percipiendi facultatem aequalē esse in omnibus, utraque, quod aiunt, manu, concedo. At, quo minus ea modo sese aequali exerat, corporis, ac temperamentorum, obſtant habitus, educatio item, ac instituta, quibus aliquis inde a teneris abundauit. Immanuel Proeleus laudem meretur, quod eiusmodi suppeditare uoluerit *spiritu&gt;*, cuius beneficio omnium, quotquot dantur, rerum certitudinem, consequi, et obtinere, queamus. At nihil amplius illud praefat, quam ut me conuincent, rem, quatangor, et afficior, aliquid esse, et existere, sed qualis illa sit, et num ita se habeat, prout ab eadem afficior, me non docet. Nec illud placet, quod unam ab altera quasi sciungat. Sane nisi ratio iungatur sensibus, fieri aliter non potest, quin per sensus decipiamur quandoque, et erroribus imbuamur. Exemplo esse potest Epicurus, qui per Canonicam in pueriles, ineptosque illos prolapsus est errores, ut crediderit, solem non esse diſco maiorem. Et nonne, seposita ratione, sensus tibi dictitabunt baculum, in aquam iminifsum praeter labentem, esse confratum, turrimque esse rotundam? Atque ita res etiam se habet cum

cum perceptione spirituali, quae omnino, beneficio rationis, exigenda est ad Scripturam. Fieri enim potest, ut quis sibi falso persuadeat, se Spiritu agitari diuino, et conuictionem, qua gaudet, ab eodem illo Spiritu proficisci. Hinc ita urgendum est internum, quod Theologi nominant, Spiritus S. testimoniū, ne Scriptura seponatur. Scripturam autem consulere, meditari, audire, et ad eandem aliquid examinare, nemo absque ratione, et sensibus, quibus uerba, siue ore prolata, siue literis exarata, percipiuntur, potest. Hinc etiam Paullus affirmat, ex auditō uerbo diuiniore oriri, et prognasci, fidem. Nec uideo, quomodo, seposita Scriptura, succurrere uelis homini, *πειρασμοῖς* afflito, nec perceptionem istam spiritualem sentienti?

XXV. Sequitur Voluntas, cuius est appetere, aut auersari, quod intellectus, iuxta normam sibi datam, sequendum, aut fugiendum, praescribit. Solet eam ob causam nominari facultas *coeca*. Quam loquendi rationem cur indignetur Titius, fateor, me ignorare. Non enim *coeca* dicitur sensu *Φυσικῶ*, qualis coecitas in animam non competit, sed quia id, quod appetendum, aut auersandum est, ab intellectu sibi communicatum accipit. Quae nisi praecesserit communicandiratio, ignoti, quod in prouerbio dicitur, nulla esse solet cupido. Singularis est, quam Thomasius, in libro, germanice edito, et Tentamen, de Natura Spiritus, complectente, fouet, sententia. Existimat, formam hominis, siue animae, in uoluntate, minime uero in intellectu, esse quaerendam. Quod ut euincat, canonem assert Peripateticorum, *forma dicit operari*, et operationes in anima, non ab intellectu, utpote facultate, *παθητικῶ* modo sese habente, sed a uoluntate deriuat. Atque ex his confidere porro conatur, homines, utpote diuersis obnoxios inclinationibus, diuersam pariter agnoscere formam, et *specificę*, liceat cum Scholis loqui, differre. Quae omnia leguntur, libro antea excitato, Sect. VII. Th. CLXX. et seqq. p. 183. seqq.

XXVI. In quibus perquam plurima dantur, quae a ueritate proprius sunt remota. Falsum est, quod totius sententiae

iae πρῶτον constituit ψεῦδος, omnes operationes in anima esse a uoluntate. Propone intellectui ἀξιωμα quoddam, cuius obuius est, mentique statim illabitur nexus, et deprehendes, quomodo, ui quasi aliqua, mox ad assensum rapiatur, si uel maxime uoluntas repugnet, cui illud non raro ingratum esse solet. Assentiri uero est operatio, et ab ipsomet Thomasio mentis annumeratur operationibus. Neque tantum absque uoluntatis commotione ita intellectus, aut anima, quae ipsa est intellectus, operatur, uerum intellectus ipsam adeo uoluntatem operationibus facit obnoxiam. Quod si enim aliquid gratum ab eodem accipiat, tum appetitione in illud fertur, contra praesto est horror, et aueratio, si, quod accipit, ingratum est, et molestum. Et quamuis non se i per intellectu sequatur ductum, minimum tamen compungitur, oriturque pugna, nisi conscientia iam laboret stupefacta, et cauteriata. Quae omnia de se quilibet experitur, ut plane pluribus non sit opus uerbis. Quid? quod affirmare audeam, absque intellectu nullos experiri uoluntatem motus, praesente licet, et sensuum oblata beneficio, re quadam, siue grata, siue molesta. Carneades, ut est apud Valerium Maximum, ad mensam non raro accubuit, sed suis intentus cogitationibus, manum porrigeret, ad capiendo cibos, obliuiscetur. Quae, quae si, est ratio, quamobrem uoluntas, in quiete constituta, cibis appositis non inhauerit? Mens, aliis distracta cogitationibus, non potuit ad eos attendere, aut uoluntati, tanquam dulces, tanquam utiles, et necessarios, ad sustentandam sanitatem, uiresque refocillandas, commendare. Postquam uero ideas ab intellectu accepit communicatas, tum, neque enim id diffiteor, intellectus operationes sistere nonnunquam, et sufflaminare, aut accendere magis, et promouere potest. Addo et hoc, uoluntatis propensionem nonnunquam intellectus operationibus esse priorem. Nam dum se ad iudicandum, et ratiocinandum, quod utrumque fit intellectu, applicat, iudicare, iuxta ac ratiocinari omnino uoluit. At enim si inde euincere uelis, uoluntatem animae esse formam, possum ego pari euincere ratione, intellectum formam esse uoluntatis, utpote

utpote ab intellectu ad operandum impulsae, excitataeque. Peripateticorum, quos alioquin ridet, canon, tantum abest, ut isti faueat sententiae, ut repugnet potius, et contrarietur. Illi enim, quando operationes ad formam referunt, in ea sunt opinione, quod illae ἀπέστως a forma proficiscantur, materia autem, quae cum forma coniuncta est, merum sit instrumentum, aut παθητικῶς modo sese habeat. Quod ut eo melius obtineant, formam faciunt materiae coextensam, aut, qui modus loquendi cum Scholasticis placet Dan. Sennerto, repleteuam. At haec in uoluntatem minime competunt. Etsi enim illa intellectum excitet, et commoueat, ad iudicandum, et ratiocinandum, tamen ipsum iudicium, et ratiocinationem, praestat intellectus, non uoluntas, alioquin ipsa foret intellectus, et sic omne inter intellectum, et uoluntatem caderet discrimen. Quod si uero iam satis esse ad formam, credas, ut aliquid operandi det occasionem, aut ad operandum commoueat, impellatque, nihil obstabit, quo minus pariter temperamenta, a quibus passiones praedominantes ad hoc, illudue, hominem impellentes, dependent, hominis pariter, aut animae, formam diccas. Et, ne quid dissimulem, canon, ante laudatus, sifit quidem aliquid, quod in forma datur, sed quid praecise forma sit, plene, et sufficienter, non delineat. Hinc etiam si forma det operari, tamen non omne, quod dat operari, est eius, cui dat, forma. DEVS enim, in quo, Scriptura teste, sumus, uiuimus, et mouemur, dat, quod nemo negauerit, operari, et tamen non est hominum forma. Quod nonnulli ex ipsis Peripateticis obseruant, eamque ob causam operationes a forma suspendunt, non qua est forma, sed qua simul est causa efficiens. Qua ratione reliqua pariter concidunt, quae de specifica afferuntur, differentia, hominum, diuersis maxime inclinationibus agitatorum. Et, ut paullo pressius haec persequar, uelim, notetur, uoluntatem posse bifariam accipi, uel pro potentia uolendi, uel pro actu uolendi, quem barbare nominant uolitionem. Ea dependet ab ipsa substantiae, cui inest, natura, consequenter omnibus hominibus eadem est, hic diuersus, prout potentia ad agendum excitatur, uel ab aliо,

lio, atque alio principio, uel ab alia, atque alia re, sibi oblata, uel tandem ab alia, atque alia temperamentorum conditione, et natura. Atque sic admitto quidem aliquam differentiam, sed quae modo est συμβεβηκότως talis, nec ipsam σοίαν attingit. Volitio namque illa transit, atque in singulas subinde horas mutatur, cum essentia semper sibi constare debeat. Mutata enim essentia, non amplius res erit talis, qualis antea fuit. Quae omnia ita disputo, ut uocibus in illo utar significatu, quem communiter, in foro Philosophico, habent. Nam, si ὡς ἐν πλάτωνι accipiantur, et essentia, speciesque, idem, quod Germanis eine Art, Gattung, id est, nudas, merasque, qualitates, aut mores, denotat, tum, neque id nego, poterit dici, homines alio, alioque principio, alia, atque alia indole, aliis, atque aliis, ad agendum, et in agendo, actos, impulsosque rebus, specie, aut essentia, differre. Credo uero, hanc significandi rationem ne ipsum quidem intendisse Thomasium.

XXVII. Deducit nos haec quaestio ad aliam, eandemque non minoris momenti, et, ob controuersias, quae hac nostra aetate agitantur, recte examinandam, quaenam harum facultatum altera sit praestantior? num intellectus uoluntatem, an uoluntas intellectum, dignitate, et utilitate, supereret? Vetusiores non unam hic fouisse sententiam, et uerba, et praxis, satis, superque, nos docent. Ionici rerum, earundemque, naturalium, quas primus dicitur Graecos docuisse Thales, indulgebant contemplationi. Vnde clarum est, plus illos dedisse operae intellectui, quam uoluntati, excolendae. Quid? quod Anaxagoras Clazomenius, qui non postremus inter illos fuit, teste Clemente Alexandrino, I. II. Strom. p. 416. τὴν θεωρίαν τῷ βίᾳ dixerit τέλος. Socrates contra, etsi Ionicis usus sit praceptoribus, totum tamen Philosophiae morali sepe tradidit, magisque de uoluntate, quam intellectu, fuit follicitus. Socratem secuti sunt Plato, Antisthenes, Zeno, eiusque aesciae, quibus Stoicorum haesit nomen. Illi enim morum doctrinas explicabant curatius, summique boni rationem in uita, naturae conformiter acta, quae Cleanthis uerba erant, sitam esse, arbitrabantur. A quorum praeceptionibus,

bus, ac institutis, longius discessit Herillus Carthaginensis, Stoae aliquando alumnus, cuius *summum bonum fuit scientia*, si modo Cicero, et, post eum, Laertius, l. III. c. VII. Herilli mentem recte sint assediti, qui, iuxta Clementem Alexandrimum, l. II. Stromatum, p. 416. non posuit summum bonum in nuda, meraque, scientia, quae ad intellectum pertinet, sed in uita, καὶ ἐπισήμην, composita. Aristoteles uero cum intellectus, tum uoluntatis, habuit rationem. Vnde et duplarem fecit Philosophiam, unam Θεωρητικὴν, alteram πρακτικὴν, quarum illa pro fine contemplationem, haec actiones habebat. Θεωρητικὴν tamen praetulit πρακτικὴν. Quod Laertius confirmat l. V. p. m. 121. Βίον τε, inquiens, τρίαν οὐτων, Θεωρητικῶν, πρακτικῶν, ἥδονικῶν, τὸν Θεωρητικὸν προέχεντεν. Doctores contra coetus Christiani, iidemque uetusiores, τὰ πρακτὰ magis, quam Θεωρητικὰ, persequebantur, eamque haud dubie ob causam Philosophiam Peripateticam, Platonicae, iuxta ac Stoicae, posthabuerunt. Sed enim, reuocata per Arabas, et cum Christianis communicata, Philosophia Peripatetica, cepere iterum speculations, quibus subinde plus inerat uanae subtilitatis, quam redundantis, ad uoluntatem recte componendam, utilitatis. Quae ne gratis dixisse uidear, scripta testor, et uolumina, a Scholasticis, multo, et insigni, confecta numero. Neque tamen deerant, qui hoc emendatum maxime cuperent, et uoluntatis, quam illi, suis indulgentes speculationibus, tantopere negligebant, curam habendam esse ducerent. Hinc reuocata est Theologia Mystica, a Io. Scoto Erigena, ex Graecia in regiones, ad occidentem fitas, primum illata, quam aude passim omnes illi sunt complexi, quotquot spinarum, et speculationum Scholasticarum, ceperat taedium. Vtinam circumspetione modo essent usi, et aera lupinis, quae in Mystica illa Theologia reperiuntur, sollicitius distinxissent. Et ex quo caput illa sequiori aetate extulit, ceperunt passim intellectum, et ea, quae sibi intellectus uindicat, eleuare. Hoc enim omnibus in more positum est Mysticis, ut, intellectu susque deque habito, omnem uoluntati operam impendant. Accedit Indifferentismus, in quem non pauci per Theologiam

Mysticam sunt prolapsi. Is, cum saluti consequendae piam sufficere uitam, existimet, mirum non est, quod uoluntatis modo emendationem suadeat. Hinc non ipse modo intellectus, sed et ueritates, et dogmata, quae intellectu sunt addiscenda, contemtim habentur, libri, Catechismi nimirum, Compendia, et Systemata, in quibus talia proponuntur, tanquam inutilia, proscribuntur, ipse tandem ἀληγονίας, et qui eundem, tuendae ueritatis causa, exercent, conuictis, tantum non omnibus, proscinduntur.

**XXVIII.** Quo facilior non tantum, sed et grauior, in hoc argumento est prolapsio, eo maior, in eius discussione, adhibenda est cautio. Generatim grauissime censendi sunt errare, qui unam harum facultatum contemtim habent. Iniurii namque illi sunt quam maxime in Deum, qui utriusque autor est, et conditor. Neque recte una alteri praefertur, si nempe in se spectentur, properea, quod utraque, neque ab anima, neque a se inuicem, ut peculiaris aliqua, distinctaque, substantia, est diuersa. Eadem est anima, quae intelligit, et uult. Intellectus, et uoluntas ipsa est anima, quae ita dicitur, si quando uel ideas contemplatur, uel ideis excitata, ad operandum, propendet. Hinc uix una contendi cum altera, aut una alteri preferri poterit aliter, quam ratione eorum, quae partim ab istis facultatibus profiscuntur, partim per illas obtinentur. Nam qui nullum adiicere uelit temperamentum, is rem minus feliciter conficiet. Supponimus igitur, non sufficere homini ad beatitudinem intellectum, nisi uoluntatis accesserit emendatio. Testatur namque experientia, eos, qui intellectus modo culturae omniem nauant operam, uel fastu corripi, uel uitio ingenii luxuriantis, nouas plerumque, et nullius momenti, sectari sententias, uel, quod prius est, in Scepticismum, et, quem comitem inprimis habet, Atheismum, incidere. Quid? quod istiusmodi in tam diffusa, quam sibi acquisiuit, cognitione, summe sit miser. Multa enim sunt, quae nunquam assequetur intellectus, et, quo maiores facit progressiones, eo magis suam imbecillitatem, αβλεψίαν, ignorantiam denique, agnoscit. Quam in rem euoluendi sunt

Fran-

Franciscus Sanchezius, et Hirnhaimius, si modo is modum, qui in omnibus placet, tenuisset, hic uero maiorem iudicium, et selectum, in conquirendis, quae in rei confirmationem assert, exemplis, adhibuisset. Interim absit, ut, neglegto intellectu, uoluntati studeamus. Etenim intellectus ea debet comparare, quae uoluntas ad consequendam, ad quam adspira, felicitatem, in usus suos transferat. Non mitefecit ante uoluntas, quam intellectus ueris imbutus est praeceptionibus. Multas dari praeiudicatas opiniones, pietatis sufflaminantes studium, nemo, credo, inficiabitur. Ergo ut ab his liberetur intellectus, danda in primis est opera. Quamdiu enim menti haerent infixae, non est, quod rectum, iustum, pium, a uoluntate, in iisdem acquiescente securius, expectes. Et quid multa? Voluntas, absque praeuio intellectus lumine, in superstitionem potius, quam ueram, Deoque placentem, religionem, propendet, immo quandoque ab omni religione fit alienior, et omnia pro indifferentibus habet, quae ab institutis, et consuetudine faltem humana, profiscantur. Testem huius rei Pyrrhonem sisto, et Carneadem, quorum ille, Laertio teste, l. IX. p. m. 252. diserte affirmauit, nihil omnino esse bonum, aut malum, iustum, aut iniustum, νόμων δὲ καὶ ἐθεὶ πάντα τὰς ἀνθρώπις πράττειν, hic autem, teste Laertio, l. V. c. XV. non diffimili sententia, Romae, pro concione frequentissima, professus est, *ius naturale esse nullum, omnes et homines, et alias animantes, ad utilitates suas natura ducente ferri, proinde aut nullum esse iustitiam, aut, si sit aliqua, sumnam esse iustitiam* etc. Quarum assertio[n]um, impietate non carentium, et ad subruendam non modo religionem, sed rerum pariter publicarum salutem, in primis comparatarum, hanc infero rationem, quod uterque iustum, debitamque, quae intellectui impendi debebat, culturam, si non neglexerit penitus, minimum pro eo, ac decebat, haud instituerit. Vnus enim τὸ τῆς ἀναταλψίας, καὶ ἐποχῆς ἔδος Philosophiae intulit, καὶ ὅμοις ἐπὶ πάντων μηδὲν εἶναι τῇ ἀληθείᾳ, ut Laertius loquitur, affirmauit. Alter uero quamvis rebus ueritatem conserfit, tamen nullum adesse κριτήγον existimauit, ex quo aliquis

de ueritate, a se mente comprehensa, certus esse queat. Vnde et fieri aliter non potuit, quin ad ἐποχὴν, Arcesilae, aliisque Academicis, tantopere probatam, et ipse pariter deflecteret. Atque his paeſtructis, profiteor nunc, suo modo paeſcendum quidem esse intellectum uoluntati, sed et suo modo uoluntatem palmam praeripere intellectui. Scilicet, in uia, perueniendi ad beatitudinem, dantur certa praesidia, quibus recte applicatis, ipsa beatitudinis consecutio inſequitur. In iſis primae partes debentur intellectui, in hac uoluntati. Clariora erunt, si ex foro haec Theologico, quod turbare conantur Indifferentiae, illuſtrentur. Homo, qui cupit aeternae particeps fieri ſalutis, addiscere debet doctrinas, per quas, Paullo iudice, Deo placuit, ſaluos facere homines. Atque hoc eſt intellectus, quem ideo merito paeferimus uoluntati. Sed non ſufficit nuda illa cognitio, uerum ut actu obtineatur ſalus, quae obtineri per eandem potest, accedere debet fiducia, quae ad uoluntatem omnino pertinet. Atque hoc modo uoluntas paeſtantior, aut, si maiis, utilior eſt, intellectu.

XXIX. Atque haec haec tenus de anima, qua naturam conſiderata. Nunc uidendum porro de illa, quatenus eſt anima, ſive ſubtantia, ad id ordinata, ut cum corpore, cui uitam largitur, hominem conſtituat. Hic uero statim ea expedienda erit quaefatio. Quaenam animae ſit origo? et unde illa in corpus deſcendat? Torsit haec quaefatio nimium quantum Philosophorum animos, nec hodieque diſputationum datur finis. Poſſunt tamen omnes ſententiae ad hanc duplēm reſerri claſſem, quarum una animae originem ab ipſo Deo, altera a parentibus, quamuis diuersimode, deducit. Qui a Deo deducunt, illi animam, uel ex Deo, per emanationem, uel a Deo, per creationem eſſe, contendunt. Primum omnes illi fateri opus habent, qui animam pro effentiae particula diuinioris habent, ſiquidem id, quod per emanationem eſt, cum eo, a quo eſt, unius ſolet eſſe naturae, et effentiae. Atqui hic excitari poſſunt Platonicī, Stoici, immo, quod mireris, ipſe Aristoteles. Nam etſi de anima ille paulo obscurius, et, Franciſco Patricio iudice, in Discuſſ. Peripat. T. II. L. VI.

p. 257.

p. 257. tam exiliter, spinose, et confufe, ſcripſerit, ut nemo ex tot millibus ſectatoribus ſententiam eius ſine spinis potis fuerit percipere, tamen illi aliiquid ex Platonis adhaeſiſſe ſchola, inde patet, quod νῆστον, quem ab anima, ſive ψυχὴ, diſtinguit, Θεὸν appellitet, et Θύμαθεν ἐπεισίεναι diſerte omnino proſiteatur. Neque Philoſophis tantum, a uera religione alienis, ſed et aliis, qui Christianos ſe proſitebantur, idem affirmare placuit. De Patribus, quos rōminant, non dicam, ex quibus forſan alii recte huius erroris poſtulanſt, alii in meliorem partem explicantur. Non enim ſufficit ad impropoſandum Stoicismum, aut Platonismum, una, alteraue, Φράσις, quam quis cum Stoicis, aut Platonicis, habet communem. Excutiendum eſt totum ſententiarum σύγκριτα, et tum apparebit, quam longe a Stoicorum, et Platonicorum, mente, ſint alieni, qui cum Stoicis, et Platonicis, loquuntur. Non omnes, qui animam, effentiae diuinae particulam, nominant, eam credunt Deo δύοδσιον, ſive, ut clarius loquar, non ſumunt effentiam pro ipſa ſubtantia, ſed ſenuſ, Philoſophis non inuifato, pro qualitatibus. Quae ne gratis dixiſſe uidear, illuſtrabo totam rem ex Ioannis Stigelia Commentario, in librum Philippi Melanchthonis, de Anima. Ibi p. 213. ex Aristotele diuinior pars, quae extrinſecus accedit, dicuntur. Et p. 129. Sententia communis Theologorum pronunciatur, Animam ipſa ſubtantia eſſe unam, et ESSE VIM COELESTEM, diuinitus afflatam homini. Et paucis interiectis, haec, inquit, ſententia Theologica buc pertinet, ut ſciamus, ſubtantiam animae eſſe diuinam. Sed audiamus nunc, quomodo haec uelit intelligi. Creauit, inquit, p. 173. eademque auerſa, animam DEVS ad imaginem, ad ſimilitudinem ſuam, non quod IPSA ESSENTIAM QVANDAM DIVINITATIS IN SESE HABEAT, ſed quod referat ſimilitudinem eius, a quo non nata eſt, ſed condita, et facta. Longe enim diſerunt imago effentialis, et imago ſimilitudinis. Non dubito, quin hac uia, et ratione, multa Patrum explicari poſſint dicta. Qua de re tamen aliis facile iudicium permitto, qui alioquin cum Balto negare nolim, Patres Platonismo fuiffe infectos. De Haereticis quibusdam res clarior eſt. Iuuat saltim nominasse Manichaeos, quibus unanimi omnium conſenſione, etiam ab Augu-

Augustino, qui cum ipsis quondam fecit, ille error adscribitur. Vnde et, praeeunte Formula Receptionis, a Iac. Tollio exhibita, in Insign. Itiner. Ital. p. 136. his eundem uerbis iussi sunt exsecurari.

*αναθεματικώ τάς τοὺς ἀνθρωπίνας ψυχὰς λέγουτας ὄμοσίες εἶναι τῷ Θεῷ. καὶ ἀπὸ τῆς ὑλῆς καταποθῆναι, καὶ καθέλεσθαι τὸν Θεόν, καὶ τάντας εξαντλεῖν, καταθεῖν δὲ διὰ τὴν ἡλίαν καὶ τῆς σελήνης, καὶ πλοῖα καλύπτειν.*

Quae egregie in notis illustravit Tollius. Tantopere quondam coetus Christianus hunc abominatus est errorem, quem nunc plures complectuntur, uariisque rationibus ornant, et hominibus incautis obtrudunt. Quod eo minori fieri potest labore, quo magis ea homini, diuinitatem quandam affectanti, blanditur, et fastum, superbiamque, quae illis maxime, quibus placet, est propria, fouet, alitque. Possem, si id e re esset, indicem fatis ipsius hic confidere, nisi sufficeret, Mysticos modo, eosdemque crassiores, nominasse, quorum luto immersus pariter fuit Autor Praeoloquii, libro Germanico, *Spiegel der Vollkommenheit, praemissi.* Verba eius §. 1. ita se habent, *Gleichwie wir durch die Sünde von GOT abgefallen sind, so müssen wir wieder zu GOT kommen, und in den Ursprung eindringen, woraus wir geflossen sind.* Vtor autem editione, quae Halae, utut in Titulo illud retineatur, A. cl<sup>o</sup> locc IX. in forma octaui ordinis prodiit. Nam in aliis, quas ad manus pariter habeo, illud *προσφυγον* non occurrit. Tandem et Medici nonnulli, hac nostra aetate, eandem fecere suam, ut eius beneficio *Φωνήνεα* quaedam, quae circa animam dantur, explicarent. Quodsi enim anima est diuinae essentiae particula, erit ea omnipotens, omnium rerum, etiam futurarum, gnara, linguarum omnium perita, consequenter non opus est, ut hominem, talia praefantem, spiritu aliquo, siue bono, siue malo, agitari, moueri, impellique, statuamus. In horum referendus est numerum Io. Casparus Westphalus, qui in Patholog. Daemon. p. 68. neminem quid absurdum credere, putat, *qui hominis mentem immortalem ex aura Dei, siue huic essentia, seu substantia immortali, et immutabili, extitisse, statuit, eamque ob causam Decretum Concilii Braccarensis, quo id damnatum est, intempestuum pronunciat.* Fallor? an hoc etiam pertinet

Seb.

Seb. Wirdigius, qui, in Medicina Spirituum, animam diserte particulam essentiae diuinae appellat.

XXX. Qui postremum tuentur, animamque suum a D E O per creationem ortum accepisse, confirmant, hi uel creationem intelligunt, pridem, et eo quidem tempore, quo condita sunt omnia, iam factam, uel tum demum, quando infans a parentibus prognascitur, faciendam. Illorum sententia *προυπάρξεως*, siue *praexistentialis animarum*, uenire solet nomine, pro qua Iudei, multique ex Patribus, et post hos Christophorus Sandius, nec non Anonymus, siue, quod ex Io. Fechtio saepe audiui, Artopaeus, Professor Argentoratensis, in Dissertatione singulari, de Existentialia animarum, antequam in aspectabili huius uitae Theatro compareant, quorum utrumque Balth. Bebelius, illum Iac. Thomasius confutarunt. Neque ab hac opinione alienus uidetur Edmundus Dikinsonus, in Physica Veteri, et Vera, c. XI. §. 17. Sed nec exiguus horum est numerus, qui tum animas *ἀπέστως* a Deo condiderunt, si quando homo nascitur. Ita iam suo tempore existimat Hieronymus. Etiam Pelagiani pro creatione, quae suis patrocinari uidebatur, erroribus, quam uehementissime propugnabant. Quibus uisus Augustinus, ab ea, quam alioquin, ut uero similem, admittebat, paululum factus est alienior. Hinc aliquando ad Hieronymum Epist. XXVIII. scribebat: *Vnde de animarum nouarum creatione sententia, si banc fidem fundatissimam, de peccato puta originis, non oppugnat, sit et mea; si oppugnat, non sit et tua.* Negari tamen non potest, illam, de creatione, sententiam, sequiori aetate, magis, magisque, inualuisse, et sigillatim in Scholasticorum scholis sium extulisse caput. Cuius rei duas habeo causas. Vna est, quod ea Pelagianismo, aut Semi-Pelagianismo, cui non leuiter addicti fuere Scholastici, patrocinatur. Altera, quod inter illos regnabat Aristoteles, qui mentem *aliunde*, aut *foras*, uenire dixerat. Atque hinc mirum non est, quod hodieque coetus, Pontifici adductus, eandem complectatur, in quo nonnulli ita in alteram de Traduce sententiam inuehuntur, ut non dubitent, illam, tanquam erroneam, et *baeticam*, proscribere. Quibus tamen merito

Geor-

G

Georgium Cassandrum opponimus, qui in Defensione Libelli, de Officio Pii Viri, Opp. p. 848. utraque in medium allata, quid, inquit, hic, quaeſo, periculi eſt, ſi dicantur, unicuique fas eſſe, citra odiosam contentionem, et pertinacem aſſecurationem, utrum ex iis uelit, eamque, quae ſibi magis probatur, ſententiam ſequi. Facta Sacrorum, per Lutherum, repurgatione, uidentur Noſtrates ab hac abſtinuiſſe queſtione. Lutherus ipſe, urgente licet Pomerano, nullam eius dare decisionem uoluit. Quam eius mo-deſtiā imitati ſunt alii, ea aetate uiuentes, et Lutherο  $\sigma\gamma\omega\nu$ , qui ſatis habent, uarias recitaffe ſententias, relictio penes lectorem iudicio. Ita in explicatione Libelli, de Anima, a Philippo Melanchthonē confeſti, ſeſe gerit Io. Stigeliuſ, et in Comment. in uniuersam Physicam Aristotelis, I. IV. c. XXXVIII. Ioannes Velcurio. Solus, quantum memini, Bren-tius, creationem adferuit. Praeualuit tamen ea poftmodum apud Noſtrates ſententia, quae totum hominem, qua animam, iuxta et corpus, a Parentibus propagari, ſtatuit, do-nec, caput paſſim extollente Aristotele, in quibusdam Aca-demiis, Ienensi puta, Helmſtadienſi, Regiomontana, Altorffina, creatio reuocaretur. Et in Ienensi quidem pro eadem propugnauit Daniel Stahlius, Paulus Sleuogtus, et, qui Ari-stotelem conciliare cum Scriptura uoluit, Io. Zeifoldus, Sper-lingium inprimis nactus aduersarium. Io. autem Musaeus, horum iunutritus praeceptionibus, maluit  $\epsilon\pi\epsilon\chi\epsilon\nu$ , quamuis mihi creationi magis, quam traduci, fauiffe uideatur. Ex Helmſtadienſibus excitari poſſunt Calixtus, et Horneius. Quod eo magis miramur; quo grauius Cornelius Martini, utriusque quondam praeceptor, reiecta creatione, confirmauit traducem. Ex Regiomontanis Christianum nomino Dreier-um, et Mich. Zeidlerum, quibus fe oppoſuit Neufeldius. Nec pauciores Altorffii Noricorum inuenit fautores, ex qui-bus tamen, ne quid diſsimulemus, Io. Conradus Durrius eam poftmodum, peculiari, quam ad Sim. Bormeiferum dedit, E-piftola, abiecit. Quod non immerito memorabile dicit Do-ctor quondam meus, etiam poſt fata mihi, quoad uixerō, ue-nerandus, Io. Fechtius, qui in Philocal. Sacr. Thes. ex Theol.

Polem.

Polem. §. XII. p. 57. ſeqq. ſummam epiftolae rarioris, nec ubi-uis obuiæ, cum lectoribus communicauit. De Reformatis non dico, quibus facile difficultates, quae in altera de tradu-ce dantur ſententia, creationem perſuaferunt, cum ipſi, bene-ficio Φορτινῶν αὐθούματων, quae alias profitentur, de dominio Dei, deque abſoluto decreto, uno quaſi difflare halitu illa poſſint incommoda, quibus Traduciani, ut dicuntur, Crea-tianos premunt. Interim inter hos ipſos, qui creationem af-ferunt, non exiguus datur diſſensus de eo, utrum extra ute-rum creetur anima, an uero, quod Petrus ſtatuit Molinaeus, in ipſo foetu, et humani corporis rudimento, formetur.

XXXI. Quod illorum concernit clafsem, qui animas a parentibus propagari contendunt, illi quam maxime ſen-tentiis ſcinduntur. Nonnulli namque animas *virtualiter* ſaltim, ut cum ſcholis loquar, alii uero actu iam in parentibus exiſtere, arbitrantur. Primi igitur ſentiunt, animas a parentibus quaſi tra-duci. Vnde eſt tradux, quae iam antiquioribus temporibus fuos habuit fautores. Hanc, autor eſt Caſſander, Opp. p. 848. Aethio-pes, *ut a primordiis fidei acceptam, conſtanter, bodieque, retinet*. Et ex Christiani coetus Doctoribus, Hieronymo teſte, Tertullianus, et Apollinaris, admisere traducem. Cuius utriusque ſen-tia uberiorem meretur diſquitionem. De Tertulliano eo minor nobis eſt dubitandi ratio, quo certius nobis conſtat, quod animas dixerit corporeas. Qua ratione facile illa tra-duci ab animabus parentum poterit. Quare et omnes, quo-quot animam dicunt materialem, eius per parentes propagationem admittunt. Quod ex uetustioribus fecere Epicuræi, quos ex recentioribus non pauci ſequuntur. Quod ad Apol-linarium, is, ut in omni Philosophia erat exercitatissimus, ad imitationem Aristotelis inter  $\nu\gamma\nu$ , et  $\psi\chi\chi\nu$ , distinxit, et ex hiſ ſolam  $\psi\chi\chi\nu$  a parentibus, ſi quid iudicem, deriuauit. Cuius rei indicia ex errore illo capio, quem de Seruatore optimo fouit. Statuebat, Epiphanio, Socrate, aliis, testibus, Seruato-rem habuisse quidem animam, ſed abſque mente, cuius uices ſuppleuerit diuina, qua gaudet, natura. Scilicet animam, quam a parentibus traduci creditit, non poterat denegare Libera-tori.

tori. Mente uero, quam forsan, cum Aristotele, aliunde immitti in corpus, credidit, non opus esse putauit, cum omnia rectius praestare diuinitas posset. Ex quibus patet, quid de Io. Garnerii habendum sit effato, qui in Not. ad Iuliani Libellum Fidei p. 261. Apollinarium, per suam de traduce sententiam, in hunc prolapsum esse errorem existimat. Non uidebat, inquit, quomodo, si anima esset ex traduce, quod omnino afferendum putabat, ut peccatum originale defendenderetur, suum Christus non haberet peccatum originale cum anima traductum. Ostendendum erit Garnero, Apollinarium in ea fuisse opinionem, vñ, quem Seruatori denegabat, etiam esse ex traduce. Quod, ut credo, nunquam praestabit. Forte Hieronymus Apollinarii mentem non satis est assicutus, quam nec illi recte percepere, qui, nulla mentis facta mentione, dicunt, Apollinarium negasse, Seruato rem habuisse animam. Interim non negamus, istas numerio fuisse pauciores, qui traducem complectebantur, donec tandem, repurgata per Lutherum doctrina, ea in nostrate coetu plurimos inueniret fautores. Et ipse quidem Lutherus, et si publice suam profiteri sententiam noluerit, priuatum tamen traduci fuit. Maiori uero πάπποια publice post eius obitum id fecere alii, adeo ut in ipsa F. C. eiusdemque Solida Declaratione, Art. I. p. m. 644. diserte confiteantur, totam hominis naturam, corpore, et anima, naturali modo, a parentibus generari. Videntur tamen a uoce traducis sibi temperasse, quippe quae uidebatur crassior, et transmutationem quandam, siue traductionem, qualis in corpora, aut materiam, competit, denotare. Vnde et diserte quandoque inficiantur, animam esse ex traduce, cum ceteroquin rem ipsam admittant. Testis est Iacobus Heerbrandus, qui in Compend. Theol. negat, animam propagari ex traduce. Nam, inquit, si ex traduce propagari dicemus, sequetur, esse mortalem. Et tamen paullo post, probabilitus, et uero similius est, creari, et generari, totum hominem ex toto homine, sicut aliae quoque species sui simile ex se procreant, propagant, et conseruant. Quod sane, ut unusquisque uidet, ipsa est tradux. Ex quo uero vox recte est explicata, innocenter nunc, absque omni offensionis periculo, usurpatur. Neque Theologis saltim placuit tradux,

tradux, sed et multis ex Medicorum, et Philosophorum, filiis eadem arrisit. In primis in hac nostrate Academia acriter pro eadem propugnauit Dan. Sennertus, et Io. Sperlingius, quibus se Io. Freitagius, et Io. Zeisoldus, ille Groningensis, hic Ienensis, Professor, opposuerunt. At enim tantum abest, ut expugnare traducem potuerint, ut hodieque, ne de Theologis dicam, non pauci praefrantioris ingenii Viri eandem defensum eant. Quibus accensendus iure quodam suo est seculi nostri Hippocrates, Christ. Vaterus. Nuper Aug. Fridericus Caemmererus ipsum propagationis modum, a quo definiendo se abstinuerunt alii, conatus est explicare. Num autem rem acu tetigerit, alii uideant, quibus permissum est, in illa sece immittere arcana. Addo et Andr. Rudigerum, qui in Physica Diuina traduci pariter ad stipulatur, et superstitionem nominat, si quis animam immediate a DEO infundi credit.

XXXII. Supereft illorum sententia, qui animas non dūvāpe, sed actu, ut uera entia, in parentibus iam existere, et, facta generatione, ab iisdem propagari, putant. Tres in primis mihi innotuerunt, qui hanc persecuti sunt, diuersa licet ratione, sententiam. Vnus est ἀνόρυπος, cui ea de re cum Sandio fuit disputatio. Reiecta namque sententia Sandiana, ita suam ille exponit, apud Sandium, de Origine Animae, p. 167. Si ex me quaeferint aduersarii, annon ego quoque praecexistentiam aliquam animarum nostrarum statuum? Resp. me omnino cum Scriptura statuere, dicereque, animas nostras in parentibus nostris iam praecexistisse. Alter est, qui nuper admodum, non sine ingenti orbis, qua literatus est, luctu, humanis exemptus est rebus, G. G. Leibnizius. Hic in ea uersatur opinione, quam in Tr. Gallico *Essais de Theodice* §. 91. persequitur, dari animarum in semine, et maioribus, usque ad Adamum, προύπαρξεν. Sed enim animas istas habet saltim pro sensitiuis, percipiendi quidem, et sentiendi, facultate, gaudentibus, sed ratione destitutis. In quo statu illas permanere putat ad tempus usque generationis. Tum enim animam sensitiuam, modo quidem non satis cognito, euadere in rationalem. Qua ratione omnes se superare posse difficultates, quibus hoc obnoxium est argumentum, credit. Videtur quidem physicis Antonii Loewen-

wvenhoockii uti obseruationibus, et iis quidem, quibus in semine animalcula quaedam sibi deprehendisse uisus est. Ultimus est Io. Andr. Planerus, qui, reiectis aliorum sententiis, in Dissert. de Anima Humanae Propagatione, nouam hanc in medium produxit sententiam. *Esse cum stamina corporum, tum animas totius generis humani, a Deo in protoplastis conditas. Utrasque posteritatis humanae partes creatas in generis humani primis parentibus, creatione simultanea.* Formam foetus cuiusvis perinde ut materiae, esse ante generationem. Sed deesse tunc unionem. Hinc ante generationem non esse hominem, quippe qui demum oritur partibus debito modo inter se unitis. His ita positis, poni totum, poni hominem. *Hominem igitur fieri unione naturali, unione animae et corporis.* Etsi uero ita iam actu in parentibus existant animae liberorum, tamen nullas, ut tibi persuadet, edunt operaciones, idque ob defectum organorum, quorum apparatus non est re ipsa in semine. Atqui per hanc sententiam eo tandem prolapsum est, ut non dubitarit, supplicia capitalia proscribere, ad scalasque, ut loquitur, damnare Gemonias. Ita enim posteri, iidemque innocentes, una cum parentibus, in quibus essent, occiderentur, ideo, quia illorum prouentus impediretur. Impedire hominis prouentum, est utique hominem occidere, non aliter, ac si manu, aut instrumento, modisue aliis, tollatur e medio, id quod nemo, nisi infanus, aut asopus, haec eius sunt uerba, negauerit.

XXXIII. Tot sunt de ortu animae sententiae, quarum numerus, si id e re esset, augeri facile posset. Scio, non deesse viros prudentiores, qui satius ducunt, scire, se habere animam, etiamsi, unde illas habeant, ignorant. Ita Affelmanno P.I. Synt. Disp. XV. Th. XCVIII. p. 443. non improbanda uisa est illorum modestia, qui fidei suae sufficere dicunt, scire, quo pie uiuendo uentiri sint, etsi nesciant, unde uenerint. Sed enim fatendum nihilominus est, quasdam ex iis sententias ita esse comparatas, ut ueritatem nimium quantum laedant, quid? DEI ipsius sanctitatem, iustitiam, aliaque, ad religionem pertinientia, tantum non funditus euertant. Et quid impedit, quo minus sententia aliqua proferatur, cum, ne de Scriptura dicam,

cam, ipsam sanam rationem habeamus praeuiam. Haec namque dictitat, per generationem essentiam communicari, consequenter unumquodque generans, beneficio generationis, qua essentiam, simile procreare. At num, quae te, homo dici posset generare hominem, si nudum saltim corpus generando propagaret. Corpus sane non efficit hominem, sed anima, et corpus simul, naturali quadam unione, et uinculo, coniuncta. Atque ita tradux firmo stat talo, cuius in eo posita est ratio, ut anima, quae δύναμις gaudere censetur, se augendi, in ipso generandi actu, positis omnibus ad generandum requisitis, eiusdem, cuius ipsa est, essentiae substantiam, modo quidem, non satis cognito, producat. Qua ratione ad eas, quae contra traducem mouentur, difficultates, facile respondebimus. Accedit, quod ex traduce non difficulter peti possint causae, quamobrem animae labo sint infectae, et culpam, ab Adamo commissam, luere debeant. Videntur quidem et illae satis, superque, peti posse ex ista sententia, quae animarum in parentibus πρόωτην admittit. Neque ire uolo inficias, quod ab ingenio ea se commendet, et aliquam probabilitatis speciem preeferat. Sed enim, quod generatim obseruandum duco, non appetit satis, quomodo cum natura generationis consistere queat. Quod si enim anima in homine iam existat, nec ab homine demum excitetur generante, non poterit parens liberorum suorum, qua corpus, iuxta animam, uera esse, uel dici, causa. Si autem non est uera causa, nec generando ex se sui simile produxit. Quod naturae generationis uerae, nam aequiuocam, quam Dippelius nuper reuocauit, non admittimus, omniuo repugnat. Leibnizii signillatim sententia non obscure animam facit corpoream. Neque admittit natura animae, ut sensitua fiat rationalis. Animam enim, uti est spiritus, gaudet ratione, etsi rationem non statim, a prima infantia, prodat. Et quaero, utrum ratio ad essentiam animae, quoad humana est, pertineat? Si affirmaveris, debet illa semper in anima adesse, alioquin anima fit, qua essentiam, alia, ac antea erat. Si negaueris, poterit absesse, consequenter nihil impedit, quo minus homo esse possit homo

mo absque ratione. Non tamen primum fuisse Leibnizium, qui illud affirmauit, non sinit nos dubitare Mich. Psellus, qui in Διδασκ. παντοδαπῆ p. 108. τῶν Ἑλλήνων, inquit, οἱ πρόκειται μετὰ τὴν τελείωσιν τὸ Φυσικὸν ὄργανον, καὶ τὴν ἀποκύνησιν τετράν οὐ περίρρεστον ταῦτην τὴν ψυχὴν τῷ σώματι, πλὴν ὅτε μὲν ἔσωθεν ἡ κατερρίζωμενον τὸ ἐμβρύον, τὴν Φυσικὴν ψυχὴν τετράν διδάσκει, εἰδέλθαντι δὲ τὴν λογικὴν καὶ προΐστοντι τὴν νοερὰν. Loevvenhoockius, cuius nititur obseruationibus, nondum satis demonstrauit, in omni semine semper adesse animalcula. Quid si enim illud semen, quod oculo inspexit armato, minus fuisset sanum, uermibusque, a quibus uix aliquod humani corporis membrum immune deprehenditur, infectum? Planeri sententia noua omnibus fere illis exposita est incommodis, ob quae traducem proscribere uolebat. Nam anima, quae actu iam existit, est uel in utroque, uel in alterutro parentum. Si in alterutro, alter erit liberorum causa physica, alter moralis. Si in utroque, uel erit tota in utroque, uel qua partem saltem in patre, qua partem in matre. Si illud dixeris, homo duas habebit animas, quarum unam accepit a patre, alteram a matre, consequenter omnes homines, qui nunc nascuntur, a Christo Seruatore, immo et primis humani generis parentibus differant, necessum est. Si hoc affirmaueris, anima componetur, et habebit partes, quod natura spiritus, qualis est anima, haud admittit. Et nonne ipsa experientia confirmat, homines, si iuuenes contrahunt matrimonium, aut plures una ducunt uxores, plures posse procreare liberos, quam si illud, annis iam prouecti, ineunt, aut unam saltem in matrimonio habent. Quid ita futurum est de animabus, actu iam existentibus? Num forsitan illae rediguntur in nihilum? an homine, in quo sunt, uita defuncto, manent superstites. Si sint superstites, num separatim existunt extra hominem, an unitae manent corpori, aut animae. Neque obscure ea τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως laedit. Fac enim, animas omnium hominum iam extitisse in protoplastis, oportet, fatearis, Seruatoris pariter animam actu ibi existisse. Sed si illa actu ibi exstitit, debuisset omnino Seruator lucis aliquando frui usura, si uel maxime homo in perfectio-

fectionis perstitisset statu. Illud autem nimis dilutum est, quod suae innixus sententiae capitalia reiiciat supplicia, eosque, qui prouentum hominis impediunt, ipsum hominem occidere contendat. Id profecto debebat esse indicio, minus recte nouam se habere sententiam, propterea, quod uera aliqua sententia nunquam erroneas gignere conclusiones soleat. Supplicia capitalia ipsummet Deum habent autorem, qui iniustitiae nullo modo est incusandus. Quod usque adeo uerum est, ut nec Anabaptistae, nec Sociniani, negare audeant, in V. T. homines facinorosos, homicidas, adulteros, alios capite esse damnatos. Sed haec ad Theologos remittimus, et ICtos, qui omnium rectissime iudicauerint, quantopere per hanc sententiam, et Sacrae Scripturae ueritas, et rerumpublicarum incolumentis, laedatur. Sufficiat illud monuisse. Si hominem occidat, qui hominis impedit prouentum, omnes homines matrimonium debent contrahere, nec permittenda est uita coelebs, quam tamen, in casibus quibusdam, ipsa permittit Scriptura, et uiri, sanctitate conspicui, egerunt. Nam qui coelibem agit uitam, is hominis impedit prouentum, qui, contracto matrimonio, expectari poterat. Et nonne hac ratione rumpendum foret matrimonium, si uxor sterilitate laboraret, aut ad generandum, peraetatem, iam inepta esset. Notum namque est, uim generandi longius durare in maribus, quam in foeminis, in quibus, ut Physici docent, plerumque cum anno aetatis XL. definit. Impeditur ergo hominis prouentus, et homo ipse occiditur. Quod ne fiat, uel plane est dimittenda uxor, uel illi alia thori socia iungenda. Vtrumque admitti nequit propterea, quod nec licita est polygamia, nec alia, praeter adulterium, diuortii datur causa. Habet tamen non unam rationem, qua suam demonstrare sententiam uoluit. Primam inde petit, quod omnium corporum humanorum stamina simul sint creata. Inde namque confidere conatur, animas pariter simul esse creatas, et generationem fieri modo unione. Sed, ne de nexus ueritate aliquid moneam, nemo non uidet, obscurum sic per aequum obscurum demonstrari. Nondum enim satis euictum est, omnia omnium corporum stamina simul esse creata, aut in matre corpo-

corpora, qua stamina, iam existere. Hoc enim si esset, non posset brutum, re cum homine habita, foetum, humanam prae se ferentem speciem, aut mulier, admisso bruto, foetum, bruti prae se ferentem speciem, edere. In bruto enim non dantur stamina corporum humanorum, nec in foeminis existunt stamina corporum, in animantes competentium. Altera inde desumitur, quod *generatio sit unio formae cum materia, consequenter et animam unione propagari*. Sed enim non nego, in generatione fieri istiusmodi unionem. Cum enim anima, et corpus, non unum, idemque, agnoscat principium, opus omnino erat unione, cuius beneficio substantiae, diuersa suae originis principia habentes, coniungantur. Quae causa est, quamobrem non nulli, quibus tradux maximopere placet, unionis, in hoc argumento, mentionem faciant. Facit id diserte I. A. Osiander, in Colleg. Syft. P. II. p. 255. *Compositi, inquiens, ut compositi producunt, nempe hominis, consistit utique in UNIONE partium Essent. componentium, quemadmodum compositi; ut compositi interitus, nempe hominis mors, dissolutione definitur: ut autem producitur pars corpora ab homine, ita etiam pars spiritualis: quae dum producuntur, essentialiter sibi invicem UNIONIV, et ita totum compositum absolvunt.* De eo vero quaeritur, utrum generatio in sola unione consistat, nec amplius quid, quam sola unio, ad eandem requiratur. Quod quidem in tota hac sententia περὶ τοῦ, quod inspectio docet, est ψεῦδος, sed nullibi iustis confirmatum rationibus. Pergit tertio loco, nullum agens naturale posse aliquid immateriale producere, quia hoc sit entis infiniti. Detur vero ratio, quamobrem Deus non possit animae uim indere eiusdem naturae substantiam ex se producendi. Num id uel rei naturae, uel diuinis perfectionibus, quas abnegare nequit, repugnat? Non est eiusmodi productio, quod passim, tanquam caput aliquod Medusae obuertitur, creatio ex nihilo. Nam ubi creatio ex nihilo, ibi abesse debet non materia tantum physica, sed et subiectum, a quo aliquid traducitur quasi, et derivatur. Alioquin genii, aut animae, toties aliquid creant ex nihilo, quoties cogitationes quasdam, ab esentia same diuersas, distinctasque, intra se conciperent. Atque ita simul

simul concidit argumentatio, quae quarto loco subiungitur, *Hominem bruto fore deteriorem, si anima non propagetur unione, sed ex nihilo, uel ἀμέσως, ab ipso Deo, uel a parentibus, creatur.* Non enim creatur ex nihilo, sed substantia, uirtute sibi data, ex sua essentia substantiam, sui similem, producit. Quid? quod persuasus sim, per sententiam, quae generationem per solam unionem describit, hominem potius bruto fieri deteriorem. Nam per eandem homo erit tantum instrumentum, quo anima, a Deo iam condita, cum materia unitur. Vrget porro, quod et Creatiani pridem urgebant, Deum dici *Deum spiritum omnis carnis, Num. XVI, 22. item formare spiritum, Zech. XII, 1.* At enim quis ignorat, illam loquendi formam, esse Deum alterius, ad diuinam pariter πρόσωπον, qua eos, quorum est Deus, prosequitur, significanter exprimendam, adhiberi? Idem formare dicitur spiritum, quatenus uirtutem animae sese augendi indidit, eandemque non tantum conferuat, sed et concursu, quem dicunt, generaliori, in animae productionem influit. Ita, ut res, modusque loquendi, exemplo illustretur, Deus autor dicitur omnium bonorum, consequenter et eruditio-  
nis, quae inter illa bona referri omnino meretur. At quis, nisi Fanaticismo abruptus, unquam dixerit, eruditio-  
nem, quae in homine datur, a Deo αὐτῶς esse excitatam? Speciem habet sexta, a propagatione peccati originis desumta. *Nam, quia anima est περὶ τοῦ δεινού peccati, animam a parentibus primis trahi putat, a quibus ipsum peccatum trahitur.* Qualis fons, tales solent esse riui, ex fonte promanentes. Hinc cum animae parentum primorum labore iam erant infectae, fieri aliter haud poterat, quin et liberorum animae, ab illis productae, eadem labore inficerentur. Ultima tandem ex sententia petitur, quam Theologi nonnulli, de massa Christi praeservata, fovent. Cum massa enim illa et ipsam Christi animam praeservatam dicit. Fieri enim non potuisse, ut massa a labore praeservaretur, nisi et anima, quae πάπτωται est peccati δευτεροῦ, ab illa praeservaretur. Ego uero nondum satis assequor nexum in hac argumentatione. Neque ratio, qua confirmare illum uoluit, iusto gaudet robore. Constat namque ex Theologia, imaginem diuinam, et, quod illi  
oppo-

opponitur, peccatum originis ad animam non tantum, sed et corpus pertinere. Sic igitur Deus in massa illa puritatem, etiam absque anima, conferuare potuit. Quod si tamen existimat, eam ab anima tantum in corpus deriuari, tum una fateatur, oportet, animam Seruatoris, cum massa illa praeferuata, semper fuisse coniunctam. Quod, ut credo, nunquam dixerit. Quod si enim cum illa massa, quae stamina continebat sanctissimi corporis, ita fuisse unita, ut sanctitas inde in massam esset deriuata, fuisse Seruator ante uerus homo, quam in utero conciperetur Mariae. Et uellem, ut huius Philosophiae alumni enarrarent, quomodo massa in uterum peruererit Rahab, et Ruthae, quarum neutra ex Israelitarum gente fuit oriunda. Per mares insinuari in uterum non potuit, quandoquidem illi non gaudent ouulis, ex quibus generationem fieri sibi persuadent. Et nihilominus tamen utraque proavis Seruatoris nostri annumeratur. Quod reliquum est, uolui hic *κατ' ἀρχην* modo disputare. Nam, quae de massa dicuntur praeferuata, ea nondum istis rationum praejadiis mihi uidentur adstructa, ut nihil amplius supersit, quod opponi iure queat, et, quantum memini, nunquam Fechtius, *ο μακάρινος*, in scholis suis, quoad illis interfui, eam sententiam professus est.

XXXIV. Creationem unusquisque libenter faciet missam, cui nominis diuini sanctitas, iustitia, ac *Φιλανθρωπία*, curae est, cordique. Quod si enim animam ille creat, creat eam, procul omni dubio, puram, sanctamque. Vnde ergo labes, cui est obnoxia. Ad hoc in hodienum usque diem responderem Creatiani non potuerunt. Petrus Chauvinus in eam ideo descendit opinionem, ut pro fede primaria peccati, quod nominant, originis, haberet corpus, et labem a corpore in animam diffundi, diceret. Quam monstruosam opinionem, ne sociis quidem suis illum approbassem, Vrignyus suo testificari exemplo potest, utpote qui non dubitauit, eam sub examen uocare. Fac tamen, rem ita se habere, num tu, quaeſo, illum dixeris sanctum, qui sciens, uolensque, animam puram in corpus immittit, a quo necessario inficitur. Annon in eundem omnis

omnis transferenda erit culpa commissorum deinceps ab anima peccatorum. Sane, qui sciens, uolensque, uinum generosum in uas infundit, ueneno infectum, is pro causa hædus est uini, ueneno infecti, mortisque, quam, hausto uino, alii sibi contrahunt. Excusant quidem Deum, propterea, quod genus humanum propagari aliter nequit. Vereor, ut solida sit haec excusandi ratio. Ipse namque Deus gravissime indignatur, si quis male agat, ut inde bona euenerint. Ergo nec censendus est, animam puram immittere in corpus impurum, quod uirtutem nemo appellauerit, ut bonum aliquod, generis nempe humani propagationem, promotum eat. Accedit, Deum per suam, quam de rebus quibusdam, etiam futuris, habet, cognitionem, hominis in peccata prolapsionem ante sciuisse, quam ea contigit, et per suam sapientiam aliam inuenire rationem, humanum propagandi genus, potuisse. Et quis Deum dixerit iustum, qui ipse animas in corpora, a quibus inficiuntur, immunda immittit, et post, ob peccata, aduersus se in corporibus commissa, poenis atrocissimis afficit. Qua ratione actum pariter de eius erit *φιλανθρωπία*. Non enim amorem sapis, eo aliquem ablegare, ubi non potest non corrumpi, factaque corruptione, poenas sibi contrahere. Atque iisdem rationibus Sandius, et Artopaeus, quorum supra feci mentionem, oppugnantur. In illa tandem sententia, quae animam diuinæ essentiae particulam facit, tot, tantaque, se se produnt *βελύγματα*, ut, unde initium capiam, penitus ignorem. In quibus recensendis, dum alii cum laude uerfati sunt, non est, quod fusius de illis nunc exponam.

XXXV. Anima uero non est in corpore otiosa, sed operationes suas habet, uitamque corpori largitur. Quod ut efficiat, opus est unione cum corpore. Cum uero unio requirat uinculum, ceperunt, suis in scholis, multas agitare quaestiones, de natura istius uinculi, quo anima cum corpore unitur. Videbant nempe, animam, et corpus, substantias esse, maxime diuersas, consequenter aliquod requiri uinculum, quo illae coniungerentur. Platonici animarum quod fingebant uehiculum, pro isto habebant uinculo. Iuuat hic audire Stephanum

phanum Teupolum, qui in Academ. Contempl. l. VI. c. XI. p.m. 148. hoc, inquit, cum mediet inter corpora crassa, et animam, iure ueluti nexus, animas cum crasso corpore ligat: non enim extrema, sine conuenientibus mediis, nec tuntur. Hinc quoque euenit, quod uaria animae uehicula assignantur; nonnulla proximius, alia remotius cum anima complicata. Hos, quod fatendum, non pauci secuti sunt ex Patribus, qui pariter animae uehiculum aliquod attribuunt. Recentiores nonnulli pro isto uinculo spiritus uenitiant animales. Quod diserte facit Sebastianus Wirdigius, in Medicina Spirituum, P. I. c. XIV. §. XIII. et c. XVI. §. IV. Cum hoc consentit Io. Casp. Westphalus, qui per animam, quam *capsulam, uehiculum, uinculum mentis immortalis*, nominat, particulam essentiae diuinæ, siue mentem, non propagari modo, et per traducem quidem, sed et corpori iungi, et ferruminari, in Pathol. Daem. p. 70. et 76. confirmat. Πρῶτον huius sententiae ψεῦδος in eo est positum, quod sibi persuadeant, fieri non posse, ut spiritus ἀμέσως contingent corpora. Et huic tantopere innituntur Beckeriani, ut, eam ob causam, non uereantur omnem magiam, ac obfessiones daemoniacas in dubium uocare. Sed nimis hoc est friuolum, nec idonea quadam ratione adstrudendum. Fac enim, spiritum non posse Φυσικῶς contingere corpus, tamen potest uirtutem, qua gaudet, operandi in corpore, et per corpus, ἐμέσως non modo, sed et ἀμέσως, exercere. Quod cum Deus, tanquam spiritus, possit, quod uix aliquis negatum iuerit, poterit id etiam spiritus quicunque aliis. Nam si id spiritus, qua spiritus, non posset, neque id praestari a Deo, tanquam spiritu, posset. Neque video, quomodo hi ipsi, contra quos disputamus, salua sua sententia, illud inficiari queant. Omnes enim uinculum, aut uehiculum, quod fingunt, pro corporeo habent. Quare si spiritus ἀμέσως operari in corpore, aut uniri cum corpore non posset, opus esset alio uinculo. Ergo, quicquid dixerint, semetipso oppugnabunt. Plura, quae hic dici poterant, docte, pro more, perspicueque, excusfit, scripta, de hoc argumento, dissertatione, Cel. Klausingius.

## XXXVI.

XXXVI. Inter istas operationes referendi merito sunt motus, quos nominant, uitales. Hi, si originem spectes, sunt ab anima, et ab anima etiam conseruantur, et si non absque causis quibusdam aliis, quibus anima, uolente sic Deo, naturae auctore, et conditore, uti debet. Quod nobis quidem extra omnem dubitationis aleam debet esse positum, ex historia conditi hominis, a Mose enarrata. Ex qua patet, quod tum demum uiuere homo ceperit, quando uitae spiraculum, anima puta, corpori est immisum. Idem euincunt exempla hominum, ex morte resuscitatorum, qui tum uitam recipiunt amissam, quando anima in corpus, ex quo morte erat exclusa, reuertitur. Quod luculentius nobis præbet indicium, omnem uitam, et, qui ex uita sunt, motus uitales, ab anima tantum pendere. Scilicet, præsente in corpore anima, præsto sunt motus, abeunte ex corpore anima, quiescunt. Contrarius huic est sententiae Bernardus Connor, in Euangeliō Medici, Art. XV. p. 130. ubi uitam corporis, quam a uita hominis distinguit, a mechanica fluidorum structura suspendit, uel a motu fluidorum conseruari, rationibus nonnullis füssultus, affirmauit. Quae eadem est sententia, quam in Theologia, ut titulus habet, Pacifica, Christoph. quondam Wittichius propositus, Cartesium haud dubie fecutus, cui in libro de Paſſ. Art. V. error nominatur *notatu dignissimus*, credere, quod motum, et calorem, anima det corpori. Monet Connorus, spiritum omnia, quae præstat, sua cogitatione, et ex libero suae voluntatis arbitrio, peragere. At multos motus in corpore nostro, sine ullo animae imperio, ex necessitate quadam mechanica peragi. Nam in alto separe, ne dum cogitante, multo minus operante anima, omnes uitales motus rite perfici. Neque nos, etiam uigilantes, motum cordis respirationis, pulsum, et alios naturales motus, ex imperio animae, uel accelerare, uel retardare, nedum supprimere posse. Qua uero ratione demonstrauerit Connor, spiritum omnia, quae præstat, sua cogitatione, et ex libero uoluntatis arbitrio, peragere. Videat, quomodo haec conciliet cum illa, quam alias, p. 126. profitetur, sententia, spiritum non semper cogitare, infantes, apoplexia correptos, aut dormientes, omnium expertes esse cogi-

cognitionum. Neque enim, opinor, existimabit, spiritum tum ab omni cessare operatione, omnique uita esse priuatum. Quid ergo obstat, quo minus dicamus, animam ita; Deo uolente, corpori esse alligatam, ut motus uitales tam diu exerceat, quam diu Deo est uisum, nec causae, istis exercendis, necessariae, deficiunt. Verbo, considero motus istos uitales bifariam, uel prout sunt uitales, uel prout ad hoc, illudue, perficiendum, applicantur. Hoc modo subiacent libero uoluntatis arbitrio, at illo dependent a lege, et ordine diuino, quo constitutum est, ut anima, praesentibus omnibus requisitis, motus istos excitet, soueat, conseruet. Qua ratione facile patet, qui in somno motus isti uitales sibi constent, si uel maxime, quod tamen nondum largior, anima non cogitet. Loquor autem de requisitis, quae adesse debent. Nam si illa non sunt integra, aut omnino deficiunt, tum motus isti uitales minus recte se habent, cogiturque anima ab iisdem cessare, corpusque suum, quod mouere amplius, aut uita donare nequit, relinquere. Atque ita Cartesii conficiuntur uerba, quae loco antea excitato leguntur, *immerito persuasere sibi homines, nostrum calorem naturalem, et omnes motus nostrorum corporum pendere ab anima: cum e contrario cogitandum potius fuisse, animam, cum morimur, non discedere, nisi, quia ille calor cessat, et organa, quae inseruiunt, motibus corporis corrumpuntur.* Illud tandem non capio, quando negat, ex imperio animae motus illos cordis, respirationis, accelerari, aut retardari posse. Contrarium namque tot hominum, rabie, aut, quae furor breuis est, ira, correptorum, euincunt exempla. Quae praeterea affert Connor, minoris sunt roboris, et pretii. *Omnes, ita pergit, uidem motus uitales in brutis, sine ulo spiritu cogitante, perficiuntur.* Semel uero, iterumque, monitum est, nondum satis nobis de brutorum constare natura. Fac tamen, id in brutis, absque spiritu, ita fieri, absurde profecto a brutis sumitur argumentatio, ad ea, quae in homine fiunt, explicanda. Ita bruta, absque spiritu cogitante, quo, non diffidente id Connore, destituuntur, uident, audiunt, memoria, et phantasia, pollent, actiones tandem edunt, ad humanas quam proxime

xime accedentes. Ergone omnia haec, pari ratione, absque spiritu cogitante, fiunt in homine? Sic habet Atheismus, de quo sibi gratuletur. Nec maioris est ponderis, quando se ad *embryonem recipit, cuius tenellum corpus in utero matris uiuere ipsi dicitur, antequam anima, quae, post aliquot demum, a conceptione, menses infunditur, immissa est.* In quibus aperte petitionem, quam scholae nominant, principii committit. Hoc interim maiorem habet speciem, *quod si infans, haec eius sunt uerba, sine artibus, cum capite tantum, et trunco, nascetur, coecus, surdus, mutus, et in tota cute paralyticus, modo cordis motus, et respiratio, supersint, uita frueretur, etiam si anima rationalis nullas exercere uideatur functiones.* Quae exemplo illustrat hominis, a prima infantia, inter ursos enutriti. Sed enim sufficit, uere in corpore esse animam, quae, deficientibus, minusque recte se habentibus, requisitis, impeditur saltim, quo minus motus uitales iusto modo exerceat. Cum tamen quaedam adsint, tantum praestat, quantum, per illarum praesentiam, praestare potest. Interim motus isti uitales dependent ab anima, non praecise, ut est rationalis, sed prout illa cum corpore est unita. Nam prout est rationalis, motus istos uitales non excitat, sed in hunc, illumine, finem, dirigit, moderatur, et adhibet. Atque hoc est, quod coniicere nobis ex pueri, quod assertur, exemplo, datur.

XXXVII. Quaeritur nunc, quae animae in corpore sit sedes, ex qua omnia in corpore perficiat. Vetustiores inepitas non raro hic adduxere sententias, quas pridem, non absque acumine quodam, expposit Lactantius. Hodie tres potissimum ea de re obtinent sententiae. Vna animam per corpus dicit diffusam quasi, et extensam. Altera certum eidem assignat locum. Tertia, pro ratione facultatum, aliam, atque aliam, fingit sedem. Atque haec, ut ab ultima incipiam, placet maxime Thomasio, qui in Tentamine, de Nat. Spiritus, intellectum in cerebro, voluntatem in corde, residere, scribit. Non tamen noua est, sed pridem a Pythagoraeis proposita, qui animam dispescabant in tres quasi partes, *v&v, Φρεδ, et θυμόν,* quarum duas priores in cerebro, posterior in corde, suam habe-

habebat sedem. Quae a Pythagoricis Plato pariter accepit, cuius φιλοσοφίατα interpretatur Steph. Theopolus, in *Contempl. Acad. L. IV. c. XIII.* Qui alteram profitentur, illi uel pro cerebro militant, uel pressius, cum Connore, callosam cerebri medullam, pro animae habent sede, uel, cum Cartesianis, glandulam pinealem afferunt. Prima tandem Peripateticis est probata, qui animam ανάλογως dicunt extensam, totam nempe in toto corpore, et totam in parte. Qua de re duos confecit libros Fortunius Licetus, quos de animarum coextensione cum corpore inscripsit. Neque abhorret ab eadem Dan. Sennertus. Dico ante omnia, animam certum habere locum. Est enim ex spirituum creatorum numero, qui dum sunt in loco aliquo, ita in eodem esse solent, ut non ante sint in alio, quam priorem migrarunt. Ergo dum in corpore multae sunt partes, multa loca, et spatia, non potest, qua essentiam, in omnibus simul esse praefens. Insidens brachio genius, non simul insidet pedi, dum insidet brachio. Aut, ut aliud afferam, genius in hypocausto praefens, dum est in hac hypocausti parte, non est simul in alia. Quando autem quaeritur eo de- labitur, quis ille sit locus, tum de eo non erit iudicandum ex operationibus, quas anima in hac, illaue, corporis parte, perficit. Nam et ibi operari in corpore, saltim ἐμμέσως potest, ubi non est praefens. Atque ita innotescit facile, quid de illorum habendum sit sententia, qui intellectum in cerebro, voluntatem in corde, collocant. Confunditur certe ipsa praesentia cum operationibus, aut, ut clarius dicam, facultatum exercitio. Placuit nempe sapientissimo conditori, ut beneficio horum instrumentorum, u.c. cerebri, intellectum, beneficio aliorum, cordis, puta, voluntatem exerat anima. Quod si ergo dixeris, animam, qua intellectum, esse in cerebro, qua voluntatem, in corde; dicas uelim, num sit tota in cerebro, tota in corde, aut, num, qua partem, saltim sit in cerebro, qua partem in corde. Si illud affimes, fatearis pariter, animam, relicto cerebro, ad cor, aut, relicto corde, ad cerebrum redire, proprerea, quod, qui essentiam, non est praefens, nisi in uno loco, consequenter, qua essentiam, in uno saltim loco opera-

operatur. Si hoc, non erit anima spiritus, sed extensa, et quantitati obnoxia, siquidem cerebrum, et cor, spatis distinguuntur. Vnde, quotquot hanc complectuntur sententiam, illi animam faciunt corpoream, aut, praeter animam, aliam homini partem, attribuunt. Quod utrumque ueritati est aduersum. Sed et ex his facile apparet, quam difficile sit, certam profiteri sententiam. Verbo, hic licet aliorum sententias magis destruere, quam certam aliquam, firmamque, adstruere. Quae enim afferuntur plerumque, ea multis, quod ingenui fateri debemus, dubitationibus, sunt obnoxia. Quod si tamen quis existimauerit, residere animam in cerebro, illi suam sententiam non inuideo, quippe quae reliquas facile probabilitatis specie superat. Agnouit id, suo iam tempore, Lactantius, qui de Opificio Dei, c. XVI. eos, qui sedem mentis in cerebro esse uoluerunt, argumentis probabilibus uti, et aut non multum, aut fortassis non errare, profitetur. De Cartesii sententia nihil dico, de qua ipse Burcherus de Volder, acerrimus alioquin Philosophiae Cartesianaee propugnator, in Exercitationibus Acad. aduersus Petr. Dan. Huetium, p. 131. Et haec, inquit, mera hypothesis Cartesii. Nemo hoc pro demonstratione sumit mathematica, nemo rationes, quibus nixus, banc hypothesis assumit Cartesius, metaphysice certas esse, statuit. Addit etiam, se ideo nihil respondere ad rationes, ab Huetio, contra Cartesium, allatas, quia de re ipsa, utpote incerta hactenus, accurate determinari baud posse, existimet. Qui candor meritis prosequendus est laudibus.

XXXVIII. Sed non ita anima unita est corpori, ut separari ab eadem, nullo plane modo, queat. In morte enim, quod et sensus, et experientia, docent, a corpore recedit. Intempestiuu quorundam est curiositas, qua uia anima ex corpore discedat. Communior fert opinio, animam per os discedere. Ita Graeci iuxta et Latini, quorum illi labia cum Aristaeneto τὰς θυεὶς τῆς ψυχῆς appellant, hi uero de homine, iam moribundo, inque agone constituto, dicere plerumque solent, quod animam in primo ore, uel labris, teneat. Cui non absimilis est loquendi ratio, Germanis usitata, *Die Seele sitzt*

sitzet ihm schon auf der Zunge. et altera illa, *Er fäbret von Mundes auff gen Himmel.* Taceo picturas, quae passim prostant, et descriptae sunt. Atque inde rationem quidam petunt, quam obrem morientes osculati sint Romani. Qua de re pluribus Io. Kirchmannus, in eruditissimo, de Funeribus Romanorum Tr. L. I. c. V. exposuit. Ioannes d' Espagne, non vulgaris uir ingenii, in libro gallico, quem inscribit, Schibboleth, hanc oppugnat sententiam, et, quae inde orta est, loquendi formam, animamque per nares potius, quam per os, efflari, sibi persuadet. Rationes, quibus hoc confirmat, inde petit, quod anima per nares in corpus est immissa, et hominis, morti iam uicini, spiritus, halitusue, in eius naribus esse, dicitur. Ef. II, 22. Quibus addit uerba Iobi XXVII, 3. Sed uereor, ut haec satis sint solida, omnique dubitatione maiora. Nam qua ratione probare poteris, animam per nares ex corpore discedere, quia per nares est immissa. Tum quidem id concederem, si quando, praeter hanc, nulla alia daretur abeundi uia. Sed cum multae aliae dentur, affirmante id ipsomet Espagnio, non debet necessario per illam egredi, per quam quondam ingressa est. Nec hodieque per nares in corpus immittitur, quandoquidem, facta eius per parentes propagatione, cum corpore mox unitur, eodemque rudi, nullaque forma, donato. Taceo, nares, Φέασε, Scripturis usitata, nonnunquam denotare faciem. Vnde et Menasseh Ben Israel, L. I. de Resurrect. Mortuorum, c. X. p. 65. *animam forinsecus a Deo per os homini inspirari*, dicit, uerbaque Mosis ita interpretatur, *formauit Deus hominem de puluere terrae, et inspirauit IN FACIEM EIVS animam uitalem.* Reliqua loca si pressे accipiантur, animam suam in naribus sedem habere, non autem per nares ex corpore abire, dicunt. Quod tamen ne ipse quidem Io. d' Espagne affirmauerit. Locus autem Ief. II, 22., consentientibus optimis S. literarum interpretibus, de Liberatore agit, cuius reuereri homines iram, ac indignationem debebant. Interim non est satis caufae, quam obrem alteram sententiam, ut falsam, et erroneam, proscribamus. Dicuntur namque homines moribundi in Scriptura S. ἐνπνεύμ, Marc. XV, 37. Quae uox magis ad os, quam nares pertinet.

Raco-

Racouienſes, ut uocem uoce explicarent, eiusque ἐμΦασιν eo significantius exprimerent, interpretati sunt *Veratbemen.*

XXXIX. Etsi uero a corpore recedat, nihilominus tamen superstes manet. Nam quia est spiritus, uera est substantia, uitaque gaudet, consequenter potest etiam, citra corpus, non modo alicubi existere, sed et uiuere. Et quia, ut spiritus omnis expers est materiae, intra se nihil omnino habet, quo destrui, et corrupti queat. Quare si destrueretur, aut interiret, fieret illud ab caufa aliqua, extra hominem constituta, qualis est uel Deus, uel genius quidam, idemque, siue bonus, siue malus. Sed non potest fieri a genio, cuius uirtus, aut potentia, miraculum praestare nequit, quale est, destruere substantiam, quae per suam naturam destrui nequit. Addo et hoc, quod substantia finita, si quid destruere uelit, alia quadam re habeat opus, quam applicare ad id, quod corrumperet, et destruere cupit, debet. Haec igitur foret uel spiritus, uel materia. Sed non poterit esse spiritus, ob rationem, paullo ante adductam, multominus materia, qua infici spiritus nequit. Deus uero, non nego, id facere potest. Ea enim potentia, qua animas quondam ex nihilo condidit, potest etiam easdem, si uelit, in nihil redigere. At unde tibi constat, quod uelit? Tantum abest, ut uelit, ut, salua iustitia, et benignitate, ne quidem possit uelle. Videmus namque, bonis saepenumero male, et malis in hac uita, bene esse. Dicendum ergo est cum Epicuro, nullam Deum hominum gerere curam, uel fatendum, non interire cum corpore animam, sed a diuina benignitate, post hanc uitam, praemia, uel ab eius iustitia poenas, et supplicia promerita, accipere. Atque hanc animae immortalitatem maxima pars gentium, per totum terrarum orbem dispersarum, inde ab ultima aetate credit. Herodotus pro primis huius doctrinae autoribus Aegyptios habet, ex praeiudicata, procul dubio, opinione, quae aliis pariter haeret, omnes scientias ab Aegyptiis esse inuentas, et cum aliis communicatas. Idem namque crediderunt, quibus nihil cum Aegyptiis commercii unquam fuit. Quales, ne de aliis dicam, fuere Cimbri. Scilicet omnes nationes a tribus

tribus Noachi filiis descendunt, quibus animae immortalitatem notam, perspectamque, fuisse, non est, quod dubitamus. Atque hi, praeter alia sanioris doctrinae capita, et hoc, quod animae concernit immortalitatem, ad posteros transmisere. Quod posteri etiam, cum illud rationi conforme, et accendens ad fortitudinem, aliasque, sine quibus persistere res humanae nequeunt, uirtutes, hominum quorumcunque animis aptum non modo, sed et necessarium ualde, deprehenderent, sancte semper, religioseque, conseruarunt. Testantur namque historiarum monumenta, eas in primis gentes, quae παραδόσεων fuerunt studiosae, animae immortalitatem esse complexas. Atque his familiariter usi sunt Orpheus, Homerus, Pythagoras, Plato, qui Graeciae illud partim intulerunt, partim de illo, Graeciae iam illato, magis, magisque, propagando, adstruendo, commendando, folliciti fuerunt. Neque dubito, quin apud promiscuam plebem ubiuis fere obtinuerit. Sed enim Philosophi, in ipsis παραδόσεσ; haud acquiescentes, in causas rerum sibi inquirendum, ducebant. Vnde dum in naturam, et essentiam, animae, curiosius inquirerent, eam tandem philosophandi rationem inierunt, quae admittere animae immortalitatem negavit. Testor Democritum, Epicurum, alios, quorum de animae natura φιλοσοφία ita sunt comparata, ut animae mortalitatem nexus post se trahant indiuulso. Quidam tamen uel callide suam occultarunt sententiam, uel nihil certi, quod statuerent, habuerunt. Ad hos referto Stoicos, in quorum mentem Stephanus Morinus, peculiari dissertatione, quae inter octo, iunctim editas, comparet, inquisiuit. Num autem rem acu, quod aiunt, tetigerit, eius rei penes alios sit iudicium. Mihi illam operam frustra impendisse uidetur Morinus, propterea, quod nullus dubitem, quin etiam inter Stoicos, uni ceteroquin sectae adhaerentes, sententiarum fuerint diuertia, eademque non exigua. Ad illos pertinet Aristoteles, qui, iudice Patricio, in Discuss. Peripatet. I. XII. p. m. 152. bac de re ita suam sententiam reliquit dubiam, ut nulla omnibus eius libris sit incertior. Vnde et, quod idem fatetur, T. II. L. VI. p. 257. nemo unquam de tot milibus eius sectatoribus, eius sententiam sine

sine spinis potis fuit percipere. Quae recte a Patricio, uereque omnino dicta esse, nemo, credo, negauerit, praeterquam is, qui omnium rerum est expers. Cum enim, quid sentiret, clare, luculenterque, non profiteretur, sed animam per ἐντέλεχειαν, siue, quod alii malunt, ἀντέλεχειαν, describeret, inuenti mox sunt Dicaearchus, et Aristoxenus, quibus anima nihil erat aliud, quam motus, aut, ut de Aristoxeno loquitur Cicero, ipsius corporis quaedam intentio. Qua ratione actum omnino est de immortalitate, contra quam Dicaearchus acerrime differuit. Is enim, ita Cicero L. I. Tuscul. c. XXXI. tres libros scripsit, qui Lesbiaci uocantur, in quibus uult efficere, animas esse mortales. Cum Philosophia Graeca Romani pariter contrarias maxime, de immortalitate animae, sententias, acceperunt. Hinc a quibusdam ea est credita, ab aliis reiecta. Quod non scripta modo, sed et monumenta sepulchralia, satis, superque, loquuntur. Hinc tot, totiesque, in inscriptionibus, mentio fit domus aeternae, somni aeterni. Commemoratione digna est inscriptio Petronii Antigenidis, quae apud Gruterum extat, p. 950. In illa ita Petronius

Dogmata Pythagorae sensi, studiumque Sophorum  
Et libros legi, legi pia carmina Homeri.

Mox tamen subiicit,

Nunc uero infernas sedes, Acherontis ad undas  
Tetraque Tartarei per sidera tendo profundi.  
Effugi tumidam uitam, spes, forma ualere!  
Nil mihi uobiscum est, alios deludite, quaeſo,  
Haec domus aeterna est, hic sum situs, hic ero semper.  
Facile unusquisque uidet, quantopere ab immortalitate animae abhoruerit, et Pythagoram, Homerum, aliosque, de eadem, iuxta et inferis, passim exponentes, irriferit. Aliae tamen animae immortalitatem clare, luculenterque, profitentur. Exemplo sit illa, quae Puteolis extat, et apud Grutetum legitur p. 757.

D. M.

NE QVIS. FLERE. VELIT. SI. TVMVLVM.

AG.

*AC. TITVLVM. VIDERIT. EXTRVCTVM.*

*SIC. FATVM. VOLVIT. VIX. DVM. POTVI.*

*TEMPORE. QVO. LICVIT. IGNIS. HABET. CORPVS.*

*IPSAM. COELVM. ANIMAM. VEXIT.*

*AQVA. PORTMEVS. TERRA. HABET. HIC.*

*CINERES. IGNIS. AQVA. TERRA. COELVM.*

*SIMVL. CAPIVNT.*

Esse uero hanc Inscriptionem hominis cuiusdam, a sacris Christianis alieni, facile docent literae D. M. quae Deos Mennes, omnium fere, si a Fabretto recedas, confessione, denotant. Ille namque sibi persuadet, posse etiam aliquando explicari DEO MAXIMO. Quod tamen diserte negant Fortunius Licetus, Io. Bapt. Ferretius, et, qui ex recentioribus accedit, Io. Mabillonius. Sed et illud rationem suppeditat, omni exceptione maiorem, quod in Inscriptione ignis fiat mentio, quo corpus fuit combustum. Qualis *νεροκαυσία* apud Christianos, corpora potius humantes, non erat in usu. Patet hoc ex uerbis pagani, apud Minutium Felicem, Christianis exprobrantibus, quod *rōgos execrentur, igniumque sepulturam damnent*. Ad quae Octavius respondet, *sé ueterem, et meliorem, consuetudinem, bumandi, frequentare*. Atque ex his, puto, claram erit, luculentumque, quae diuersae fuerint Romanorum, de immortalitate animae, sententiae. Neque est, quod mirum, quandoquidem, accepta a Graecis Philosophia, alii *πλειντες* agere, ali hanc, alii aliam, complexi sunt sectam. Cicero, quod scripta docent, cum Platone animae immortalitatem credidit. Sed cum aliis, iisdemque non paucis, Philosophia placeret Epicuraea, alieniori, procul omni dubio, ab illa admittenda fuerunt animo. Tales iam Ciceronis extabant tempore, quorum numerus, sedente ad imperii clavum Augusto, nimium quantum est auctus. Tum enim Epicuri secta apud Romanos caput suum extulisse uidetur, quae aliquando Romanis ita fuit exosa, ut, A. Gellio teste, Epicuraeos urbe eiicerent. Etsi uero religio Christiana meliora doceret, tamen, quod mirandum, in ipso coetu Christianorum quidam fuerunt, qui minus recte de animae immortalitate sentirent.

Exem-

Exemplo sunt Arabici, qui, Eusebid teste, L. VI. H. E. c. XXXVII. affirmabant, τὴν αὐθωπέαν ψυχὴν τέως μὲν κατὰ τὸν ἐνεσῶτα καιρὸν, ἀμα τῇ τελευτῇ σὺ αποθνήσκειν τοῖς σώμασι, καὶ συνδιαφθέρεσθαι. ἀνθις δὲ ποτε κατὰ τὸν τῆς αἰτασάσεως καιρὸν σὺν αὐτοῖς αἰνθίσθαι. Quid? quod nonnullis Doctorum, ex Philosophia, haud dubie, quam complectebantur, quaedam adhaeserint sententiae, immortalitati animae minus fauentes. Videtur enim animam, ex sua natura, haud fecisse immortalem. Quod eo minus mirum, quo magis certum est, illos de animae essentia minus solide fuisse informatos. Testimonia recentiori aetate adduxit Dodvvellus, suae patrocinaturus sententiae. Observuamus tamen, Patres non raro per immortalitatem, felicem illam, quae in coelis obtinetur, uitam intelligere. Audiamus Laclantium, qui ita L. VII. c. V. *Quae ratio, inquit, docet, mortalem nasci hominem, postea uero immortalem fieri, cum cooperit ex Deo uiuere, i. e. iustitiam sequi.* — *Quod tum fit, cum homo, coelesti lauacro purificatus, exponit infantiam cum omni labe uitae prioris.* Quis non crederet, ipsum hic loqui Dodvvelum? Sed idem in eodem capite, qui maluerit, inquit, bene uiuere ad tempus, male uiuet in aeternum. Damnabitur enim sententia Dei ad aeternam poenam, quia coelestibus bonis terrena praeposuit. At, qui non existit, ille poenas pati nequit. Ne uero existimes, illum per poenas forsitan mortem ipsam cum Stoichio intelligere, perpendas, quaeſo, plus simplici uice, exagitari, pungi, confutari, impietatis tandem argui, ab ipso Laclantio, Epicurum, qui poenas inferorum ridebat, & ſigmentum poetarum interpretabatur. Ergo, ut multa paucis complectar, cum hominum animabus impiorum tribuit mortem, aeternam intelligit, poenas, et cruciatus, complectentem, cum contra animas piorum dicit immortales, de beatitudine, cuius in coelis fiunt participes, absque omni fine, loquitur. Quid clarius esse potest uerbis, quae habet, L. VII. c. XIV. *Sola est iustitia, quae uitam homini parat aeternam; et solus Deus, qui aeternae uitae praemium largiatur.* En, quam alias immortalitatem nominat, nunc uitam dicit aeternam! Nam illi, pergit, qui suis meritis immortales facti esse dicuntur, quia nec iustitia, nec ulla in his uera uirtus fuit, non IMMORTALITATEM sibi, sed MORTEM peccatis, ac libidinibus, quaeſuerunt, nec COELESTE PRAEMIVM, sed AETERNA SUPPLICIA meruerunt. Addo et, quae leguntur l. VII. c. XXI. Tum quorum fuerit probata iustitia, ii praeium immortalitatis accipient, quorum autem peccata, et sceleris, detecta, non resurgent, sed cum impiis in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia destinati. Post illa tempora Philosophia Peripatetica, primum apud Arabas, mox et apud Christianos, est reuocata. Unde mirum esse nequit, quod non aequa ubiuis de ani-

K

ma,

ma, eiusque immortalitate, lata sint iudicia. Non possum, quin mea faciam Nic. Taurelli uerba, quae habentur, in Alpibus Caesis, p. 296. *Commentarii elegantur Peripateticorum: Deus bone, quantabit est confusio. quot, quantaeque difficultates? Quis, quiesco, ex tam spurcis lacunis, latrinis prope dixerim, emergere posse?* Quae uera sunt etiam de illis, qui, renascentibus bonis literis, Aristotelem, ut Deum aliquem Philosophorum, securi sunt. Quot enim, quantasque, easdemque curiosas magis, quam utiles, mouerint, de anima, quaestiones, indicio esse potest Bulla Leonis X. ap. Georg. Hornium, L. VI. H. P. c. VIII. Ne tamen in impietatis incurrent suspicionem, se, ex mente saltim Aristotelis, de immortalitate animae, disputasse, dicebant, hanc alioquin se, iuxta praescriptum literarum diuiniorum, credere, quaestionem modo esse de lumine naturae, num illud iustas demonstrandi rationes suppedititer. Atque ex horum forsan numero Pomponatius erat, quem tamen, neque id diffiteor, alii nunc excusat eunt. Eodem fere modo, de animae immortalitate, disserit Vaninus, in Amphith. p. 164. Sed in libris, de admirandis Naturae arcanis, satis, superque, prodit, nunquam se ferio eandem credidisse. Ibi enim Alexandro, Vanini, de isto argumento, sententiam exquirenti, non ueretur respondere, *Deo uoui meo, quaestionem hanc non pertractaturum, antequam senex, diues, et Germanus, euasco.* Quae uerba excusasse Anonymum, qui Cosmopoli Iul. Caes. Vanini Apologiam edidit, unusquisque mirabitur, qui in sensum eorum penitus inquisuerit. Ita autem Anonymus p. 87. *An silentium crimen fugillas? Vulgatum est, loquere, ut te uideam. Lubricus proponendi modus est, sed alia eiusmodi incogitanter Vanino exciderunt, quae matuoriore iudicio scriptis ipsis furto surreptis eliminare non potuit. Mutasset fortasse multa, nisi opuscula, eo inscio, Typographi auditate, praelo fuissent subiecta.* Addit, rationes, quas pro animae immortalitate in Amphitheatro Vaninus attulerit, Morhofio a subtilitate commendari. Ut multa paucis persequar, sciendum est, librum, de Admirandis, Amphitheatro esse recentiorem. Vnde de mente, et intentione, Vanini reetus omnino ex illo, quam ex hoc, iudicatur. Cuius rei ipse indicium fecit Vaninus, qui diserte profiretur, p. 428. *se multa in eo libro scripsisse, quibus nullam praefaret fidem.* Atque ita facile appetet, quantum praefiterit candorem *civōvūq; Vanini patronus, qui duriora eius effata ex Amphitheatro in meliorem uult interpretari partem.* Ea autem, quae in eius defensionem hic affert, usque adeo sunt diluta, ut nihil supra possit. Ecce enim hic filet, cum eius sententia ex professo, dataque opera, exquiritur? Cur non remittit Alexandrum suum ad subtilem, quibus in Amphitheatro animae immortalitatem adstruxerat, rationes? Qui dicere potuisset, se tum demum de eadem uisfum,

rum, quando senex, diues, et Germanus, fieret, si ex animo illas proposuisset, aut roboris aliiquid inesse illis, credidisset? Nonne id indicium praebet, istam disputationem ad illorum pertinere classem, quibus nulla a Vanino praestita est fides. Tandem si hoc in loco istud silentio argumentum praetermittere uoluisset, cur tam abiecte loquitur, se tum uisfum, *si quando diues, senex, aut Germanus, fieret.* Quibus uerbis id indicat, se tum uisfum, quando, ut diues, senex, aut Germanus, metu quodam inani corriperetur, aut credulitate nimia laborare inciperet. Neque ipse Apologeta inficiari potest, lubricum esse sermonem. Ne tamen Vanino suo desit, putat, Vaninum mutaturum illum esse cum aliis, quae incogitanter ipsi exciderunt, nisi furto libri essent surrepti, ipsoque inscio, formis exscripti. At unde haec omnia probas? Meditate scripsisse Vaninum, ipsa inspectio loquitur, quae facile nos docet, pridem haec secum cogitasse autorem. Furtim surrepta esse scripta, uix permittunt censura, et priuilegium, quod datum est bibliopolae, suis sumtibus protrahendi libros in lucem. Quorum utraque cum non absque aliquo temporis interuallo obtineri potuerit, potuisset omnino Vaninus, si modo uoluisset, limam adiicere, et incogitanter dicta matuoriore iudicio emendare. Recentiores, qui Vanino non sunt absimiles, nunc mitto, propterea, quod eorum index apud alios facile haberí possit. Rationes autem, contra animae allatae immortalitatem, ex iis, quae supra adduximus, confutari debent.

XL. Dum itaque anima extra corpus subsistat, opus erit aliquo loco, in quo commoretur. Aegyptii, Indi, et omnes fere, ad orientem sitae, gentes, μετεμψύχωσιν crediderunt. Eandem pariter amplexi sunt Pythagoras, Empedocles, ipseque Plato, et, quod Epiphanius, Lactantius, Pseudo-Origines, confirmant, Stoici. Ab his accepere Christiani, Iudei, Mahomedani. Nam, ne de hominibus dicam αἰγαλοῖς; ex ipsis Patribus quidam μετεμψύχωσιν admiserunt. Clem. Alexandrinum eam fouisse, in libris οὐποτυπώσεων, sententiam, Photius autor est Cod. CIX. et ex eodem Christ. Sandius, de Origine animae, p. 136. Sed alii ingenue μετεμψύχωσιν proscripterunt. Pythagoram perstringit passim Lactantius. Stoicos irridet, eorundemque sententias Φαυλότητος τῆς παραπεπομένης διαβολας postulat Epiphanius. Quid? quod Manichaei in Formula receptionis, ap. Iac. Tolium, in Insign. Itin. Ital. p. 138. haec recitare debuerint uerba, ἀνα Γερμανίᾳ τὰς τὴν μετεμψύχωσιν δοξάζοντας. Hoc tamen obstare non potuit, quo minus sequioria aetate quidam, qui Christianum profiteptur nomen, μετεμψύχωσιν reuocarint. Quos inter primum tenet locum Heimontius, qui in libro, αἰνούμασι edito, Seder olam, magnam rationum struem, ad confirmandam μετεμψύχωσιν, necit. Iudeis nihil esse cum isto dogma-

dogmate commercii, Io. Steph. Rittangelius contendit. Quod de uetusioribus, etiam Phariseis, fecus, ac uulgatior fert opinio, facile concedo. Neque affirmo, recentiores ad unum omnes eidem adstipulari. Karaei namque, Trigladio teste, ut unum, illud proscribunt dogma. Quod etiam ex Rabbanitis facit Beniamin Tudelensis. Non tamen ideo nullos fuisse, quibus id placuit, exemplo esse possunt Kabbalistae, de quibus id fatetur R. Menasseh Ben Israel, uir, si quis unquam, in suorum scriptis uersatissimus. De M. humedanis idem confirmat Lud. Marraccius. Nos Christiani merito ab isto dogmate abhorremus, quod insignia nostrae religionis capita penitus euertit. Quodsi enim animae, a corporibus solutae, in alia, animantium, nempe, plantarum, arborum, hominumque, transiunt corpora, non consequentur statim in coelis praemia, vel apud inferos poenas. quod dininiores literae plus simplici uice testificantur. Et quid fieri de *ἀνθρώποις* in eodem, quo hic aliquis gauisus est, corpore. Itane ergo animae uel absque corpore erunt praesentes, uel corpora quaedam destituentur anima. Nihil horum salua ueritate dici poterit. Non primum, quia enim homo in corpore bene, maleque, egit, consequitur, quod et corpus pariter praemiorum, uel poenarum, particeps fieri debeat. Non alterum, quia fieri nequit, ut corpus, anima destitutum, aliquid sentiat, et uel uoluptate fratur, uel dolores persentiscat. Quae cum ipsa sana ratio dictitet, merito cum Worcesteriensi Praefule, ab Observatoribus Hallensibus fugillato, μετεμψύχωσιν, ut absurdam, reuicimus. Nondum enim, quae pro adstruenda ex lumine naturae, *ἀνθρώποις*, Fechtius, aliique, adduxerunt, satis sunt confutata. In quibus examinandis, eleuandisque, nobis deberemus temperare, ne Atheis, aut Empaectis, arma suppeditemus ipsis, quibus grauissimum hoc doctrinae caput confodian. Alii, qui bene de Philosophis uetusioribus sentiunt, μετεμψύχωσιν ἀληγορίως, idque, uel ex doctrina naturali, uel morali, interpretantur. Quam in rem uideri potest Caesar Longinus, quem *solum*, de Oraculis Pythag. c. VI. negasse, creditam esse a Pythagora μετεμψύχωσιν, cur Sandius de Orig. Animae p. 189. scripsierit, equidem ignoro. Faciunt enim id, quotquot μετεμψύχωσιν, qua literam, a Pythagora intellectam, negant. Ita autem ex uetusioribus sensit Hierocles, cui ex recentioribus subiungo Ambros. Rhodium, Sébast. Wirdigium, lac. Windet, Whitelocke Bulstrodeum, alios. At uereor, ut salua haec ueritate dici queant.

XLI. Rectius nos dicimus, animas ad ista transferri loca, in quibus, pro ratione uitae, ante aetae, uel praemiis, uel poenis, afficiuntur. Vbi autem ista sint loca, et quaenam eorum sit conditio, quaeque tandem praemiorum, uel poenarum ratio, homo, sibi relictus, uix assequitur. Reseruandum hoc est fu-

turae experientiae. Consulendae hic sunt diuiniores literae, ex quibus ea hauriri debent, quae a mero Diuni Numinis arbitrio dependent unice. Atque haec nos docent, praemia non consistere modo in absentia omnium, quae concipi possunt, malorum, sed et praeſentia bonorum, quae cumulatissime Deus in beatos conferet. Contra poenas non inferre modo absentiam omnium bonorum, sed et praeſentiam omnium malorum, quae Deus ipſe hominibus, ad tartara detrusis, infliget. Quae omnia ratio, ex diuinioribus literis illustrata, tantum abeft, ut reiiciat, ut potius facile ſibi persuaderi patiatur, propterea, quod Deus censendus eſt iſtud poenarum ordinasse genus, quod maximum homini terrorem incutit. Iam uero experientia loquitur quotidiana, non tantum iniicere terrorem ea, quae nos bono aliquo priuant, quantum ea afferunt, quae dolores excitant, et cruciatus. Atque hinc facere nequeo cum Petro Poireto, qui in lib. III. Cogit. Ration. c. II. nullos alios admittit cruciatus, quam quos homo, auersis ab omnis boni origine, et fonte, facultatibus, in ſemet ipſo experitur. Verbo, cruciatus, quos nominant, priuatios, ex absentia boni orientes, concedit, positios, qui ab alio infliguntur, negat. Quae profecto non carent periculo. Nam si tot locis, in quibus iſtas poenas Scriptura tam ſolicite deſcribit, μεταΦοριδι αſſingere uelimus ſenſum, tota inferorum ſedes fiet μεταΦορια, et Knutze- nius facile triumphat, qui ſectam Conſcientiarum parturiuit quidem, ſed non enixus eſt. Περιτο uero huius ſententiae ψευδοſ illud eſt, quod ſibi persuadeat Poiretus, non eſſe a Deo mala poenae, utpote qui, ad instar ſolis, neminem tenebris immergeant, luceque priuantis, nihil aliud reddere poſſit, quam bonum. Sed hoc fallium eſt, maximeque erronem. Immittuntur enim hominibus bella, fames, peſtis. Aut igitur haec non erunt mala poenae, aut citra diuinam obuenient uoluntatem. Quod, ut ego arbitror, Epicuri magis, quam Vatum diuiniorum, ſapit ſcholas, et in prouidentiam diuinam eſt iniurium. Et quid dicendum de mortibus, ſuppli- ciisque aliis, quae, Deo ſic iubente, infliguntur, propter commiſſa fe- lera, hominibus. Sciendum autem eſt, Deum quidem eſſe bonum, ſed non naturale, et brutum, ut ſol, uerum rationale, liceat hac uoce uti, ac liberum. Hinc fieri aliter nequit, quin Deus in communicanda ſua boni- tate, et ſui ipſius, et eorum, quibus uult communicare, rationem habere debeat. Non ergo hominibus impiis ſe communicare poteſt, niſi contra ſuam agere ueller naturam, quae ſancta eſt, omnemque, quoconque no- mine uenit, impietatem, ſummo, ut par eſt, odio, proſequitur. Quod odium

odium tum declarat, si quando poenas criminibus illis, sceleribusque, dignas, hominibus scelestissimis infligit.

XLII. Praemia illa, ac poenae, aeternum durabunt, neque finem consequentur ullum. De praemiis nemo dubitat. Sed poenarum aeternitatem perquam plurimi in dubium uocant. Hos inter etiam nomen suum profiteur Stoschius, de Concord. Rat. et Fidei, c. XI. & XII. §. 34. Baelius etiam in ea fuit persuasione, non posse nos Manichaeis satisfacere, quamdiu haec sententia propugnetur. Hinc non pauci in id incubuerunt, ut ostenderent, quomodo salua esse possit diuini Numinis bonitas, etiam si aeternum puniat. Iaque lotus, qui Baelium oppugnauit, ad eam se recipit sententiam, quam paullo ante in Poireto proscriptissimus. Petrus Kingius, de Origine mali, p. 269. euoluit utilitatem poenarum, ne quis putet, ex sola vindicta easdem infligi. Existimat autem, facere easdem ad bonos, qui iam coelis recepti sunt, in electione confirmandos. Autor, qui Causam Dei assertam per iustitiam eius Amstel. cl. locc X. edidit, putat, non obstare damnatorum multitudinem, quo minus Deus infinitis sum am bonitatem modis declarare queat, eamque ob causam illorum complectitur sententiam, qui soles, uel maxime regionem trans soles felicibus habiti creature, statuant. At, ut haec sententia nimis est incerta, ita Kingii τὴν τῆς πίσεως ἀναλογίαν uehementer admodum laedit. Haec enim, quod Theologorum est interpretari, docet, homines eiusmodi esse ισαγγέλης, consequenter ex felicitatis, quam adepti sunt, statu, labi nunquam posse. Qua ratione non opus est, ut per poenas, hominibus, ad stygios condemnatis carceres, aeternum infligendas, a prolapsione conseruentur immunes. Teneantur modo sequentia, et res omnis est in uando. DEV S homines, debitum sibi, tanquam domino, denegantes cultum, poenis potest afficere. Poenae, pro ratione, cum delictorum, tum etiam personae, contra quam commissa sunt, solent esse grauiores. Condemnati ad inferos non desinent in Deum, a quo puniuntur, peccare. Sufficit, DEV M in legum promulgatione disertam poenarum fecisse mentionem. Has ergo semper habere ob oculos debebant homines, idque in primis operam dare, ut omnis, ad quae DEO suo obligati erant, summo, quo decebat, studio, praestarent. Pluribus haec, cum a laboribus ero uacuus, aliquando persequar, et Stoschii sigil latim ratiunculas sub examen uocabo.